

QUÆSTIONES  
SUPRA REGULAM SERAPHICAM  
S. P. N. FRANCISCI,  
JUXTA DECLARATIONES SUM: PONTIFICUM

PRÆSERTIM

NICOLAI III.

&

CLEMENTIS V.

RESOLUTÆ.

*Et pro usu Juventutis Capucinae Provinciæ  
Poloniae*

IMPRESSÆ.



VARSAVIÆ.

*Typis Petri Dufour Typographi &  
Consiliarii Aulici S. R. M.*

---

M, DCC, LXXXVIII.

**C**um mens Seraphici Patris nostri S. Francisci, imò & ipsius Christi expressa voluntas fuerit, sitque; ut Minoritana Regula simpliciter, ad litteram, & sine glossa ab omnibus eam profitentibus, observetur: adsint autem in eadem non pauca, quæ pro sui perfecta observantia, saltèm respectu quorundam, quâdam doctrinali explicatione indigeant; proinde, dum utrique operam navare intendo, ut scilicet & Regula ad litteram observata maneat, & dubia circa eam oriri solita, pro majori conscientiarum quiete, clarè & solidè resolvantur; protestor, in hoc toto opusculo nihil me asserturum, quod non declarationibus Sum: Pontificum, præsertim Nicolai III. & Clementis V. tum Decretionibus Capitulorum nostrorum Generalium: necnon probatorum Religionis nostræ Auctorum, qui abundè hæc in re scripserunt, ratio bus fulciatur. Ad abigendam autem à quædam in legendo, hocce opusculo molestiam, placita per totum brevitati studebo. Jam igitur, Religiose Lector, lege, seu va, & vale.



St-98

K-109/801



1713



**E**X mandato A. R. P. Cajetani à Luceoria, Ord: Capucinatorum Provinciæ Poloniæ Min: Provincialis, legi opusculum compositum à R. P. Simone à Lipnica ejusdem Ordinis Definitor, & actuali Gvardiano, cui titulus: *Quæstiones supra Regulam Seraphicam &c.* in quo quia reperi dictas Quæstiones, conformiter ad Declarationes Sum: Pontificum Nicolai III. & Clementis V. necnon classicorum Expositorum ejusdem Regulæ Seraphicæ, prudenter, ac solidè resolutas: ideo illud non modò utile, sed & per necessarium agnoscens, dignum prælo censeo. Dabam in Conventu nostro Varlavienfi die 13. Julii, 1787.

F. Heraclius à Dyakovce Ord: Capucin: Definit: & S. Theol: Lect: actual: m. p.

De mandato A. R. P. Cajetani Luceorienfis Ord: Capucinatorum per Poloniam Ministri Provincialis. Opusculum inscriptum: *Quæstiones supra Regulam*, legi diligenter, nihilque in ipso deprehendi Orthodoxæ fidei, bonis moribus, aut Ecclesiæ scitis adversum: quinimo perutile, ac necessarium Juventuti Capucinicæ duxi. Hinc quod me spectat, nihil abesse censeo, quin publici juris fiat; si iis, quorum interest, ita videbitur. Datum in Conventu nostro Varlavienfi ad Transfigurationem Domini, die 23. Julii, 1787.

F. Sigismundus Oppoliensis Capucinus, S. Theol: Lect: & Definit: emerit: m. p.



# APPROBATIO

A. R. P. *Ministri Provincialis.*

Opusculum intitulatum: *Quæstiones supra Regulam Seraphicam &c.* à R. P. Simone à Lipnica Provinciali Definitore, olim S. Theologiæ Lectore laboriosè congestum, à duobus Religionis nostræ Theologis, quibus id comissum, diligenter relectum, & utile declaratum: à Reverendissimo P. Erhardo à Radkerspurgo Min: Generali ratihabitu: & juxtà appositam conditionem, à toto R. Definitorio maturè discussum: ac cuius Religio nostro ad regendam suam, & aliorum conscientiam necessarium recognitum: etiam nos, ut servatis de more servandis, prælo mandari possit, eo facilius facultatem impertimur; quò efficacius ut Fratrum nostrorum corda ad hanc sanctam, & admodum necessariam scientiam, & observantiam inflammentur desideramus. Datum in Conventu nostro Regio Varsoviensi 26. Junii, 1788.

F. Cajetanus à Luceoria Capuc: Min: Provincialis. m. p.

## APPROBATIO CENSORIS.

Opus hoc cum non sit contrarium Fidei, aut bonis moribus, imò omnia ad perfectionem ducentia in eo contineantur: proinde luce publica donandum cenfeo. Datum Varsoviæ 10. Augusti, 1787.

Josephus Winter per Archidiaconatum Varsoviæ: Librorum Censor. m. p.

## Quæstiones Proæmiales.

5

1. Q. 1. Quamnam Regulam FF. Minores observare tenentur? Ante responsonem sciendum est, Seraphicum Patrem nostrum S. Franciscum tres Ordines instituisse: *Primum Fratrum Minorum: Secundum Clarissimum: Tertium Pœnitentium.* Pro primo scripsit successivè duas Regulas: primam Annò Christi 1210. constantem 23. Capitulis; quam etiam Innocentius III. vivæ vocis oraculo approbavit. Alteram 12. tantum contentam capitibus; quam ipsi Christus in monte Pambò dictavit. Jam ad quæst. *Respondeo.* Fratres Minores tenentur observare Regulam S. P. Francisci alteram, ex duodecim tantum capitibus constantem. Ratio est; quia hanc solam Successor Innocentii Honorius III. annò 1223. per Bullam confirmavit, & ab omnibus Fratribus Min: observari voluit: quam tamen PP. Conventuales nunc vovent utpotè Privilegiis Pontificiis relaxatam.

2. Q. 2. An: hæc Regula FF. Minorum sit omnibus aliis Regulis perfectior? *Resp: Affirmativè.* Ratio est; quia in summo gradu vota essentialia Religionis complectitur, nimirum: Paupertatem altissimam, tam in communi, quam in particulari, absque ullo jure politico; quod nulla alia facit: Obedientiam latissimam, & Castitatem fulgentissimam.

3. Q. 3. Utrum FF. Minores servant Regulam juxtà declarationes Sum: Pontificum, servant eam ad litteram, seu juxtà intentionem S. P. Francisci? *Resp: FF. Minores servat*  
Aij



vantes Regulam juxtâ declarationes Summi Pontificum, Nicolai III. & Clementis V. fervant eam ad litteram. Ratio est; quia Nicolaus III. & Clemens V. in suis declarationibus protestantur; quod non aliter velint Regulam explicare, quàm juxtâ piam intentionem S. P. Francisci: ergo. Unde omnes glossæ, quæ his duabus contrariantur, Urbanus VIII. revocavit per Bull: *Sacrosanctum Apostolatus*. Ex quo patet quòd omnes glossæ, seu expositiones extortæ, irrationabiles, & relaxantes Regulam sint nobis prohibitæ.

4. Qr. 4. FF. Minores, voventes suam Regulam, teneantur esse perfecti? *Resp.* Fratres Min: voventes observare suam Regulam ad litteram, non tenentur esse perfecti; sed sub mortali obligantur tendere ad perfectionem. *Est communis*. Ratio est 1. quia status Religionis non est status perfectionis acquisitæ, sed acquirendæ. 2. Quia Fratres voventes observare Regulam ad litteram, non vovent, quòd velint esse actû perfecti; sed quòd velint tendere ad perfectionem per observantiam suorum trium votorum essentialium, & præceptorum in Regula contentorum; atqui vota, & præcepta in Regula contenta obligant sub mortali: ergo Fratres sub mortali tenentur tendere ad perfectionem religiosam, hoc est: ad observantiam suæ Regulæ, votorum, & præceptorum in ea contentorum. Quæ tamen obligatio tendendi ad perfectionem non est distincta ab obligatione servandi Regulam, vota, & præcepta.

5. Qr. 5. Ad quæ observanda tenetur F. Minor sub peccato mortali ex Regula Sua? Ante responzionem suppono, Fratrem Minorem non teneri sub peccato ad omnia observanda, quæ continentur in Regula; quia in Regula tantum aliqua continentur sub præcepto; reliqua verò sunt posita per modum Admonitionis, Permissionis &c. Jam *Resp.* Frater Minor, præter tria vota essentialia, tenetur sub mortali servare 25. præcepta, nempe: septem præcepta formalia, duo inhibitoria, quatuor habentia vim præcepti, & duodecim æquipollentia præceptis. Ita declaravit Clemens V. quæ etiam hic distinctim ponuntur.

*Præcepta formalia septem.*

1. Quod totus Ordo teneatur præstare obedientiam Papæ, & Romanæ Ecclesiæ. Cap. 1. Reg.
2. Quod Fratres nullò modò denarios, vel pecuniam recipiant. Cap. 4.
3. Quòd Fratres obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Dno observare. Cap. 10.
4. Quòd Fratres non habeant suspecta consortia mulierum. Cap. 11.
5. Quòd non ingrediantur monasteria Monacharum. *Ibidem.*
6. Quòd non fiant Compatres virorum, vel mulierum. *Ibid.*
7. Quòd Ministri petant unum de S. Rom: Eccl: Cardinalibus, qui sit Protector &c. Cap. 12.



## Præcepta Inhibitoria. 2.

1. Quòd nullo modo liceat Fratribus de ista Religione exire. Cap. 2.

2. Quòd Fratres nihil sibi approprient. Cap. 6.

## Habentia vim Præcepti 4.

1. Quòd Fratres teneantur recurrere ad Ministros Provinciales pro casibus reservatis. Cap. 7.

2. Quòd habeant unum de Fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum, Cap. 8.

3. Quòd Ministri, & Custodes teneantur convenire in Capitulo Generali pro electione Gen: Ministri. *Ibid.*

4. Quòd si dictus Minister non esset sufficiens, debent eligere alium. *Ibid.*

## Equipollentia Præceptis 12.

1. Quòd Fratres habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio. Cap. 2.

2. Quòd in necessitate possint portare calceamenta. *Ibidem.*

3. Quòd vilibus vestimentis induantur. *Ibid.*

4. Quòd Clerici faciant Divinum Officium, & Laici dicant Pater noster. Cap. 3.

5. Quòd jejunent à Festo OO. Sanctorum usque ad Nativitatem Dni: S Quadragesimam ante Pascha, & in feriis sextis totius anni. Cap. 3.

6. Quòd non equitent, nisi manifesta necessitate cognantur. *Ibid.*

7. Quòd Ministri, & Custodes sollicitam curam gerant pro necessitatibus infirmo-

rum, & aliis Fratribus induendis. Cap. 4.

8. Quòd Fratres serviant Fratribus infirmis. Cap. 6.

9. Quòd non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, si ab eo illis fuerit contradicendum. Cap. 9.

10. Quòd nullus populo audeat prædicare, nisi prius à Min: Generali fuerit approbatus & examinatus. *Ibid.*

11. Quòd si sciant, & cognoscant se non posse Regulam spiritualiter observare, debeant ad suos Ministros recurrere. Cap. 10.

12. Omnia quæ ponuntur in Regula quoad formam Habitùs tam Novitiorum, quàm Professorum: & quoad modum receptionis, ac professionis spectantia, in quibus multæ conditiones sub mortali obligantes comprehenduntur. Cap. 2. Ex quibus

6. Inferitur 1. Quòd licet dicta 25. Præcepta sub mortali obligent; non tamen cadunt sub votum. *Ità communis* Unde si F. Minor non jejunet die veneris cadente in quatuor tempora, non peccat duplici peccato, unò contra præceptum Ecclesiæ, altero contra votum.

7. Infer: 2. Quòd F. Minor non obligetur sub peccato ad Testamentum S. P. Francisci, nisi in iis, quæ cum Regula habent communia, aut quæ sub aliam cadunt legem. *Ità Nicolaus III. in Extravag: Exiit* Ob reverentiam tamen S. Patris decet, ut observetur. Similiter F. Minor non tenetur sub peccato ad declarationes Sum: Pontificum, nisi



in iis, in quibus præcepta Dei, Ecclesiæ, aut Regulæ adducant *Ita Corduba Cap: 10. q. 3. pun. 4.* Ratio est, quia Sum: Pontifices voluerunt Regulam tantum exponere; non verò nova præcepta Fratribus imponere. Unde si quis Fratrum (precisò contemptù) non servaret aliquam conditionem, aut modificationem dictarum declarationum, ut si v. g. prius nominaret Substitutum, quàm ipse pecuniæ dator requireret, adhuc talis Frater non peccaret mortaliter. *Hieron: à Politio C 4 n. 55.*

8. Qr. 6. An ignorantia Præceptorum Regulæ excuset Fratrem Minorem à peccato? Ante resp: *Suppono* 1. quemlibet obligari in conscientia, ut sciat ea, ad quæ servanda votò se adstringit; nemo enim servare, & implere ea potest, quæ ignorat. *Suppono* 2. Multiplicem esse divisionem ignorantia, videndam apud Theologos. Jam Resp: Nulla ignorantia præceptorum Regulæ excusat Fr. Minorem à peccato. *Ita communis.* Ratio est, quia si quæ ignorantia eum excusaret, tunc invincibilis, sed hæc supponi non potest in Fratre Minore profitente; sequeretur enim, quod voveret ea, quæ ignoraret, quod est absurdum: ergo. Quibus stantibus ut veris, plùs tenentur scire Prælati, & alii Sacerdotes, quam Clericus, aut Laicus; licèt & isti ea communiter scire tenentur, quæ in Regula sub mortali sunt præcepta, & in quorum exercitio occupantur Unde resultat gravissima obligatio Superiorum, & Magistrorum  
Nori-

Novitiorum quoad faciendam explicationem Regulæ Juventuti volenti eam profiteri: quòd ut omninò fiat, non modo id Constit: nostræ Generales, sed & Innocentius XI. Bulla: *Sollicitudo Pastoralis* seriò mandat. Nèc juvabit tales ignorantes illa communis, & lepidula excusatio: *ego vivo sicut alii*; quia etiam tales in sua professione non voverunt vivere sicut alii; sed voverunt Deo servare Regulam FF. Minorum; quam si non servaverint, damnabuntur, etsi vixerint sicut alii, qui eam vel ex ignorantia, vel negligentia non servaverunt, ut dicit *Kazenberg in exposit. Reg. q. 7. Prol.*

## CAPUT I.

*Incipit Regula, & vita FF. Minorum.*

9 **N**ota hóc primò Regulæ Capite contineri tria vota solemnia; scilicèt: Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, & duo præcepta sub mortali obligantia: 1. quòd FF. Minores ex speciali præcepto debeant Summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ obedire, 2. quòd iidem Fratres teneantur obedire Successoribus S. P. Francisci, nempe Ministris Generalibus.

10. Qr. 1. An FF. Minores vi voti, & Regulæ suæ teneantur ad observantiam omnium



in Evangelio contentorum? *Resp.* Fratres Minores vi voti, & Regulæ suæ non tenentur sub peccato mortali ad omnia, quæ in Evangelio continentur; sed tantum ad ea, quæ in Regula tanquam vota solemnia, præcepta formalia, inhibitoria, habentia vim præcepti, & præceptis æquipollentia continentur, ut mox supra specificatum est. Ita declararunt: *Nicolaus III. Exiit. Art. 1. & Clemens V. Exiit. Ratio est; quia si S. P. Franciscus voluisset FF. suos ad plura alia in Evangelio contenta obligare, certò plura, quàm defactò, posuisset in Regula tanquam præcepta, quod tamen non fecit: ergo. Ex quo*

11. *Infer:* Quòd FF. Minores vi suæ Regulæ ad ea tantum Evangelica consilia observanda sunt adstricti, quæ in illa præceptorie, sub verbis æquipollentibus, &c. ut mox dictum, exprimuntur: cæterorum verò observantiam, quæ sub verbis monitoriis, exhortatoriis, seu quibuscumque aliis continentur, eatenus magis concedit de bono & æquo eos prosequi, quò imitatores tanti Patris effecti, Christi semitas arctius elegerunt. Ita in terminis *Nicol. III.*

12. *Qr. 2.* Ad quid F. Minor tenetur ex voto Obedientiæ? *Resp:* Frater Minor vi voti Obedientiæ tenetur obedire suis Superioribus, ut Ministro Generali, Provinciali, Guardiano &c. non tantum in iis, quæ præcipiuntur expressè in Regula; sed etiam in omnibus aliis sine ulla exceptione; nisi aliquid

præciperetur, quod esset contra Deum, aut contra Regulam, ut patet ex *Cap: 10. Reg.* & docent Expositores. Est autem *Obedientia* virtus, quæ hominem facit promptum ad implendum Superioris mandatum.

13. *Qr. 3.* Qualis sit Obedientia promissa à FF. Minoribus Papæ, & Ecclesiæ Romanæ? *Resp:* Obedientia, quæ Papæ, & Ecclesiæ promittitur, non est illa communis, ad quam omnes Catholici, omnesque Clerici tenentur; sed est specialis. Ita *S. Bonav. in expos. Reg: Cap. I.* Ratio est; quia in hoc Franciscana Regula quid speciale habet præ cæteris aliorum Ordinum Regulis; nam nulla illarum est, quæ suum Ordinem supposuerit Sedi Apostolicæ per speciale votum. ut hæc facit: ergo. Hinc Professor hujus Regulæ, non obediendo Pontifici canonicè electo, aut Sede vacante, Ecclesiæ Romanæ, gravius peccaret, quàm alius Religiosus.

14. *Qr. 4.* Ad quid F. Minor obligatur ex voto Paupertatis? *Resp:* Obligatur principaliter ad tria: 1. *Uti rebus tanquam non suis;* quia nullum jus habet in res, vel ad res, quibus utitur; sed tantum habet usum simplicem facti sibi concessum. 2. *Tenetur uti rebus de libera Domini usum concedentis voluntate, & de sui Superioris libera licentia explicita, vel implicita;* aut, in casu absentia Superioris, rationabiliter præsumpta. 3. *tenetur uti rebus licito, ac moderato usu, juxtà modos in Regula expressos, nempe: sine superfluitate, curiositate, & pretio-*



sitate rerum, quibus utitur.

15. Qr. 5. Ad quid F. Minor tenetur ratione voti Castitatis? *Resp.* Ex voto Castitatis tenetur abstinere ab omni delectatione venerea interna, & externa: ut à turpibus cogitationibus, desideriis, ab aspectu, locutione, tactu, & similibus, quæ prohibentur per sextum, & nonum Decalogi præceptum.

## CAPUT II.

*De his, qui volunt vitam istam accipere,  
& qualiter recipi debeant.*

16 **N**Ota in hoc capite contineri quinque Præcepta sub peccato mortali obligantia: 1. quòd nullò modò liceat Fratribus de ista Religione exire. 2. Quòd Fratres habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui voluerint habere. 3. Quòd illi tantum, qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. 4. Quòd vilibus vestimentis induantur. 5. Quod omnia, quæ ponuntur in hoc capite quoad formam Habitùs tam Novitiorum, quàm Professorum: & quæ quoad modum receptionis, & professionis spectant, obligent æquè sub mortali. Deinde datur Libertas repetendi vestimenta: & additur Admonitio non judicandi, nec despicendi alios homines, sed semetipsum.

17. Qr. 1. Cùm Regula præcipiat Fratribus ut eos, qui voluerint libère ingredi Religionem nostram, mittant ad Min: Provinciales: quæritur hic, utrum etiam non idonei mittendi sint ad dictos Ministros? *Resp. Negative*, si patenter sint inepti ad Ordinem, vel habent impedimentum, ratione cujus nec à Ministro Provinciali reciperentur. Ità *Nicol. III. art. 10* ubi dicit: *nec indifferenter omnes admittantur ad Ordinem; sed illi tantum, qui suffragantibus eis litteraturâ, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint utiles esse Ordini, sibi que per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum.* Si verò Fratres dubitent de alicujus idoneitate ad Ordinem; tenentur talem mittere ad Min: Provinciale, & illi insinuare causam suæ dubitationis; quia solus Min: Provincialis est judicare, an aliquis sit idoneus, vel non? Ex his

18. Infer. Quòd cùm ex jure naturali, & Divino tenetur quilibet Christianus sub peccato gravi non retrahere idoneos ab ingressu Religionis approbatæ, & non relaxatæ, ut docet *S. Anton. p. 1. tit. 2. c. 2. §. 1. cum aliis*; hinc multò magis non licebit Fratribus tales retrahere, vel impedire à nostra Religione ingredienda, si sint idonei: & hoc sive fiat ex amore carnali, vel odio, vel alia quavis injusta causa: è contra verò movere aliquem, & exhortari ad mundi contemptum, & Religionis ingressum semper licet Fratribus, exemplo Christi, qui multos ad discipulatum induxit.



19. Qr. 2. An soli Min: Provinciales ex vi Regulæ habeant potestatem ordinariam recipiendi venientes ad Ordinem? *Resp. Affirmative*: & patet ex textu Regulæ, ubi dicitur: *quibus solummodo & non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur*. Per hoc tamen non excluditur Min: Generalis, quin possit recipere Novitios pro toto Ordine; quia ille totam Provincialium potestatem continet. Et quamvis Min: Provinciales habeant potestatem ordinariam recipiendi Novitios pro sua Provinciâ, & ideò hanc potestatem, quantum est ex vi Regulæ, aliis communicare possint; tamen hæc eorum potestas à Min: Generali arctari potest, ut expressè statuit *Nicol: III. cit: art: 10.*

20. Qr. 3. An Min: Provinciales teneantur venientes ad Ordinem examinare de fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis? *Resp:* quamvis per se loquendo teneantur Min: Provinciales, aut ab ipsis delegati, personaliter per seipos examinare venientes ad Ordinem de fide Catholica, & aliis conditionibus requisitis; tamen quando nullum dubium subest, quod venientes ad Ordinem sint benè instructi in fide Catholica &c: tunc non tenentur eosdem de hoc examinare. *Ità S. Bonav: hic.* Ratio est, quia examen adhibetur tantum ad rem occultam investigandam: ergo ubi res per se patet, frustra examen institueretur.

21. Qr. 4. An venientes ad Religionem uxorati, possint recipi? *Resp: Affirmative*, si

eorum matrimonium est tantum ratum, non verò consummatum; quia juxta S. Canones per ingressum Religionis dissolvitur matrimonium ratum, sicut & sponsalia de futuro. Addit tamen S. P. Franciscus, quod etiam uxoratus, matrimonio consummato, possit adhuc ingredi Religionem, si uxor Monasterium jam intraverit, & in eo professionem emisit: vel si uxor emisit votum castitatis, & marito, interveniente auctoritate Episcopi, licentiam dederit ingrediendi Religionem: sique uxor talis ætatis, quòd in ea non possit oriri suspicio incontinentiæ. Si tamen talis uxoratus, Religionem ingressus, ante emissam professionem egrediatur; votum castitatis ab uxore emissum ipsam non amplius obligaret, sed teneretur suo marito cohabitare; quia uxor in tali casu vovit castitatem tantum conditionatè, si scilicet maritus profiteatur. Si verò uxor absolute castitatem vovisset; teneretur eam, etiam marito Religionem egressò, servare, salvò tamen jure mariti. Ita communiter Expositores. Reliquæ conditiones videantur in nostris Constit: Gen: c. 2.

22. Qr. 5. Utrum Min: Provincialis, aut ejus loco Gvardianus, teneatur venientibus ad Religionem dicere verba S. Evangelii, ut vadant, & vendant omnia sua, & ea pauperibus erogent? *Resp: Affirmative*: verum iis tantum, qui habent aliqua bona, & ea vendere, ac pauperibus dare possunt; aliàs enim frustra hæc verba dicerentur iis, qui vel bo-



na non haberent, vel illa vendere, & pauperibus distribuere non possent; talibus enim sufficit, ut renuntient simpliciter omnibus bonis temporalibus amore Dei, etiam iis, quæ habere potuissent, si mansissent in sæculo: ut sic Christum nudum, & pauperem sequantur. Detestandi autem sunt illi Novitii, ut ait Marchantius, qui saltem suas vestes sæculares non dant pauperibus. Quod vero concernit Renuntiationem, & distributionem bonorum temporalium inter pauperes: hæc non debet fieri ante habitus susceptionem, nec statim post ejusdem susceptionem; quia in *Conc. Triđ. Sess. 25. c. 16. de Regul. cautum*, & decretum est, nè à Novitio ulla fieri possit renuntiatio actualis bonorum temporalium, etiam in favorem cujuscunque causæ piæ, nisi infra duos menses ante professionem: quæ nihilominus etiam sic facta, nullum habeat effectum, nisi professione secutâ: proinde Concilium annullat, & cassat omnem renuntiationem, aut obligationem aliter factam, etiam juramento firmatam. Quando verò Novitius non potest bona sua temporalia vendere, & dare pauperibus, eò, quòd obstat rationabilis causa: ut si ex illa distributione lites, odia, scandala &c. inter propinquos orirentur: vel quia ipsi Parentes pauperes sunt: aut licet pauperes non sint; tamen consideratò statu, & gradu suò, illis bonis indigent ad statum suum conservandum, ad debita solvenda &c. tunc talis potest bona sua relinquere Parentibus, & sufficit ei bona

bona voluntas ea pauperibus erogandi, si potuisset *Ità Expositores.*

23. Qr. 6. An Novitii, circa dispositionem bonorum suorum temporalium, debent plenæ libertati relinqui, adeò, ut liberè disponant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis? *Resp: Affirmativè:* nec ullo modo possunt se ad hoc ingerere Fratres; nam sub peccato mortali hic prohibetur Ministris, & omnibus Fratribus omnis sollicitudo, inductio, postulatio, & omnis actio, quæ quomodo præjudicare potest libertati Novitii in dispositione suorum bonorum. Ità declaravit *Clem: V. supra cit. lo.* Licet tamen possunt Fratres à Novitiis liberè oblata recipere, si quid ipsis, sicut cæteris pauperibus, per modum eleemosynæ dare velint, modò non in notabili quantitate, ut dicit idem *Clem: V.* addens rationem: nè præsumi possit sinister oculus contra ipsos. Deinde: Novitio jam volenti liberè dare eleemosynam Conventui, licet necessitates Conventus declarare, imò unam præ aliis svadere, et si ad aliam jam esset inclinatus. Pariter Novitio jam volenti, & determinato dare aliqua bona pauperibus; indifferenti autem quibus? possunt Fratres commendare aliquos externos veros pauperes, modò absit importunitas; quia per ista nihil præjudicatur libertati Novitii. *Marchant: hic.* Si verò Novitii petant consilium circa distributionem suorum bonorum: debent Fratres dirigere eos ad virum aliquem Deum timentem, qui nec cu-



piditate, nec aliquo respectu moveatur, & qui sit alterius statûs, hoc est, non Frater Ordinis, nec Fratrum consanguineus, nec Pater spiritualis, nec Syndicus, ut declaravit cit: Clem: V. per cujus viri consilium Novitiorum bona pauperibus erogentur.

24. Qr 7. In quo consistit Novitiorum Habitus? *Resp:* juxta Regulam consistit i. in duabus Tunicis sine caputio; cujus loco debet eis dari caparro, ad distinctionem à Professis. Quod autem nunc Novitii portent etiam aliquod caputium: hoc provenit ex dispositione Ministrorum, quorum judicio relictus est ex Regula modus vestiendi Novitios, juxta hæc verba: *nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur.* 2. Consistit in cingulo, id est, fune communi, & rudi. 3. in Braccis, seu femoralibus de lino. 4. in Caparrone.

25. Qr: 8. Quandonam Professio Novitiorum fieri debet? *Resp:* juxta Regulam, & *Conc. Trid. Sess: 25. c. 15.* fieri debet completò perfectè annò probationis, & non ante. Si tamen Novitius foret periculosè infirmus, potest ex concessione Pii V. professionem emittere, & particeps fieri Indulgentiæ plenariæ; quæ tamen Professio non foret absoluta, sed conditionata, nempe: si Novitius moriatur, valebit; si secus, non valebit, nisi iterum emittatur finito probationis annò. Ut autem hic annus probationis sit legitimus, debet esse *integer*, & *continuus*: integer de momento ad momentum, id est, ab hora diei,

in qua Novitius habitum suscepit, usque ad eandem horam ultimi diei completi anni. Et quia in anno bissexto duo dies reputantur pro uno: ideò in tali casu, ut professio sit valida, debet expectari lapsus illius diei, qui eò annò additur, ut declaravit *S. Congreg. 21 Januar. 1617.* Tandem debet esse annus *continuus* probationis, usque ad professionem *inclusivè*, ità: quòd si ante professionem *emissam* habitum dimittat animò Religionem deserendi, & iterum petat, etiam intrà eundem *dimissionis* diem, ut recipiatur ad habitum, dato: quòd recipiatur ad habitum; tenetur annum Novitiatûs incipere; quia eò ipso amisit statum, in quo fuit, & indiget novà admisione, ut iterum possit esse Novitius. Idem dicendum: si Novitius habitu retentò, è Religione confugeret, etiam animò redeundi, modò hoc pro fuga ei reputaretur. *Bonagr: v. Novitius.*

26. Qr. 9. Quis potest recipere Novitios ad professionem? *Resp:* Ordinariè id possunt soli Min: Provinciales; licèt id committere possint & alii. Ità *Exposit:* Ratio est, quia soli Min: Provinciales habent ordinariam potestatem recipiendi ad habitum Novitios, quam etiam alii committere possunt, ut supra dictum; ergo idem dicendum de Professione Novitiorum. Jam sequuntur





*Resolutiones quædam, Capitulum nostrorum Generalium, Novitios concernentes.*

27. Utrum profitens cum taciturnitate morbi alicujus incurabilis, contra statuta Ordinis, sit verè professus? *Resp: Capit: Gen: 1653.* esse verè professum; quia nostra Constitutio non est irritans professionem.

28. Utrum retardari debet Professio Novitii, qui tertia vice habuit in favorem pluralitatem votorum, sub prætextu, quòd aliquis Frater contradicit, & vult scribere ad P. Provinciale; nullam tamen apponens causam justam? *Resp: idem Capit: non debere retardari.*

29. An Gvardianus, vel Magister Novitiorum validè ferat suffragium in admittendis ad professionem Novitiis, cum quibus duobus tantum mensibus sunt commorati? *Resp: Cap Gen, 1637.* Affirmativè; constitutio enim, quæ aliter videtur disponere, non irritat, nec irritare potest, quod de jure communi aliàs validum censetur.

30. Si quis susciperetur ad Novitiatum, & indueretur habitu sinè expressa P. Provincialis ordinatione: Professio dicti Novitii facta nulla esset. *Cap Gen. 1637.* In casu autem, si est bonus Novitius, potest P. Provincialis ratificare ejus admissionem, & Novitius, à die ratificationis inclusivè, debet probari in Novitiatu usque ad annuam revolutionem diei ratificationis, & primò tunc facere professionem. *Idem Cap.*

31. Declaratur, quod P. Provincialis non habeat vocem inclusivam in admissione Novitiorum; licèt habeat exclusivam. *C. G. 1637.*

32. An P. Provincialis, concurrente paritate votorum pro Novitio admittendo ad professionem, possit illi suffragari? *Resp: Cap. Gen. 1650.* magis est conforme nostris Constitutionibus, quod non suffragetur.

33. Si quis Professus daret votum Novitii, cum quo non fuit per quatuor menses juxtà Constitutiones, an Professio sit valida? *Resp: Cap. Gen. 1691.* Affirmativè: deberent tamen puniri Suffragantes, & consentientes, quod præcipuè intelligendum est de ultimis votis.

34. An Magister Novitiorum non Vicarius, Gvardianò, aut Vicariò præsentem, possit in publica mensa Novitios suos corrigere? *Resp: C. G. 1636* negativè.

35. An Gvardianus debeat Novitiis assignare Confessarium (intellige in diebus, in quibus solet dispensari Confessariis) non in genere, sed nominatim? *Resp: C. G. 1698.* Affirmativè, & Novitii tenentur illi confiteri juxtà Bull: Urbani VIII. Novitius verò, qui eligit subreptitiè Confessarium, præter deputatum, potest per prælatum expelli à Religione. *Ita idem Cap.*

36. An pro admittendo aliquo Novitio ad Professionem, ejus Frater germanus professus in Novitiatu possit ad votationem admitti? *Resp. C. G. 1712.* Affirmativè; standum est enim conscientie votantis.



37. Magister Novitiorum non eligatur, qui 35. annos non computat, secundum Bullam Clementis VIII. & decem annos à Professione. *C. G. 1735.*

38. An Novitii subjaceant casibus reservatis in Ordine? *Resp. C. G. 1740.* Negative.

39. Guardianus cum suo Discreto debet discedere ad Capitulum, ideò dantur vota pro Novitio, qui adhuc habet duos menses ad Professionem, quæritur: an hæc votatio sufficiat ad professionem? vel: an debeat fieri altera votatio post undecim menses novitiatus? vel: an votatio prior sit intermittenda. & alia tempore debito possit institui absente Guardianò, & Discretò? *Resp. C. G. 1740.* sufficere votationem primam; nisi quid novi contra Novitium emerferit.

40. Utrum Novitii Sacerdotes Fratribus Laicis professis præcedere debeant? *Resp. D. G. 1762.* Affirmative, prout statutum est per Breve speciale Clementis XIII.

41. Qr. 10. In quibus vestibus consistit Habitus FF Professorum? *Resp.* consistit 1. in duabus Tunicis de panno, unâ cum caputio, & altera sine Caputio. *Itâ S. Bonav. in c. 2. Reg.* Nec opponas: Evangelium prohibere Apostolis ferrè duas tunicas; quia hic, juxta eundem S. Doctorem, prohibet ipsis superflua tantùm vestimenta; non verò necessaria. 2. consistit habitus Professorum in cingulo, seu fune communi, & femoralibus de lino. 3. Præter duas tunicas licitum est etiam portare Mantellum, seu Pallium. *Itâ Inno-*

*centius XI. Bulla: Sollicitudo Pastoralis*, ubi dicit: *Nam aliud quodvis vestimenti genus, ultra prædicta (excepto Mantello ab initia Religionis licito) ut indusia, seu camisiæ, sudariola, tunicellæ, & similia sunt contra Regulam: nisi adsit vera necessitas excusans à præcepto, per Prælatum approbata.* Ex quibus

42. Infer: 1. Quòd FF. Minores mortaliter peccent 1. qui absque dispensatione legitima, præter duas tunicas, portant tertiam. 2. Qui sine licentia, præter duas tunicas, portant tunicellas, camisias sive laneas, sive lineas 3. Qui sine licentia, & necessitate, etiam cum una tantùm tunica, portant indusia, sudariola &c; quia hæc omnia prohibita sunt non tantùm ex Regula; sed etiam ex Jure communi: *Extra. de statu Monach. Cap. cum ad Monasterium.* Ulterius sequitur, quòd non liceat Fratribus habere tertiam tunicam mutatoriam in suis Cellis: nec alterum habitum, sinè licentia Superioris expressa. *Kazenberg, hic c. 2. q. 4.*

43. Infer: 2. Superiores Ordinis posse dispensare cum Fratribus, ut pluribus, quàm duabus tunicis utantur: item, ut possint portare indusia, vel sudaria de lino, &c; sed *penfatis necessitatibus, & aliis circumstantiis, quæ secundum Deum, & Regulam attendendæ videntur.* *Itâ Nicol. III. art. 7.* ubi addit: *nec per hoc Fratres videntur à Regula deviare; cum etiam in ipsa dicatur expresse: quòd Ministri, & Custodes de infirmo-*



rum necessitatibus, & Fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum loca, & tempora, & frigidas regiones. Ità etiam Clemens V. Necessitas autem sufficiens ad dispensandum in pluralitate tunicarum, juxta Marchant: hoc loco, est infirmitas Fratris, debilitas, senectus, acerbitas frigoris, necessaria honestas, dum quis sordidis laboribus implicatur &c. Necessitatem verò sufficientem utendi lineis, juxta Kerckhove, esse infirmitatem Fratris, vel ad abstergendos sudores per breve tempus &c.

44. Qr. 11. Utrum liceat aliquando dimittere Habitum? Resp: Si F. Minor suum habitum temerè dimittat ad periculosè vagandum; incurrit ipsò factò excommunicationem à Bonifacio VIII. latam, Cap. ut periculosa. Ne Clerici, vel Monachi. in 6. Non incurrit autem hanc, nec peccat, si quis Habitum deponat propter infirmitatem, aut ut eum purget, lavet: vel ut tutus per loca infidelium transeat, &c. Dormiens verò absque Habitu, aut femoralibus, sinè legitima causa, peccat juxta plures Expositores: unde semper portari debent femoralia vi Regulæ, ut resolvit Cap: Gen: 1775.

45. Qr. 12. An liceat portare Calceamenta? Resp: Fratri Minori, sub peccato mortali, prohibitum est ex Regula, portare Calceamenta, exceptà cogente necessitate. Ità Clem. V. in sua Decr: Per Calceamenta autem intelliguntur consveta apud sæculares pedum operimenta ex corio. Porro in necessitate

fitate vera possunt Superiores dispensare, seu veriùs declarare licitum esse alicui usum calceamentorum. Ex quibus.

46. Infer: 1. Si quis portet crepidas per notabile tempus sinè necessitate, & licentia Superioris, peccat mortaliter; quia hæc parum differunt à calceamentis Kazenberg: Suprà. 2. Non licet portare Soccus panneos, totum pedem ambientes, sinè necessitate, & licentia Superioris: minor tamen necessitas requiritur ad portandos Soccus, quàm calceamenta, vel crepidas. Ità declaravit Urbanus VIII Bulla: Sacro Sanctum: & Innocent: XI. Sollicitudo. 3. Portare caligas clausas truncatas, quæ non operiunt pedes, non est prohibitum per Regulam; requiritur tamen ad hoc licentia Superioris. Marchant. hic; quæ, supposita necessitate, non est deneganda. Cap. Gen. 1775. 4. Portare sandalia licet; quia etiam Apostoli Marc. 6. ea portarunt.

47. Qr. 13. Qualis debet esse pannus in habitu, & tunica Fr. Minoris? Resp: Debet esse omninò vilis, qualis in illa Provincia, ubi Fratres sunt, accipi potest. Ità Clem. V. cit. lo. ubi dicit: Vilitatem autem vestium tam habitus, quàm interiorum tunicarum, illum intelligi debere dicimus; quæ, secundum consuetudinem Patriæ, debeat quantum ad colorem panni, & pretium, vilitas meritò reputari. Unde, qui pannis pretiosis induuntur, graviter peccant; licet tales sint longioris durationis; quia Regula non præcipit,



ut pannus sit longioris durationis, sed ut sit vilis. Ità *Expositores communiter*. Quæ tamen vestimentorum vilitas quoad colorem, & pretium pendet à judicio Ministrorum, Custodum, & Gvardianorum *Hier. à Polit. hic n. 104.*

48. Qr. 14. Quò fine possunt Fratres repetiari suas vestes de faccis, & aliis petiis? *Resp;* Possunt id facere ex triplici fine: 1. ad majorem paupertatem servandam; nè statim nova vestimenta procurentur, dum antiqua sunt detrita. 2. Ad resistendum frigori in hyeme. 3. Ad majorem humilitatem, & sæculi despectum. Et licèt Regula det libertatem repetiandi vestes; tamen modus, & forma repetiitionis servanda est omninò intrà limites decentis vilitatis, & asperitatis, juxtà judicium Superiorum, ut dicit Clem: V. Martin. V. & Joan XXII. Bulla: *Quorundam exigit*. Per Saccos autem S. Bonav: intelligit omnes pannos viles, teste à *Polit. lo. cit supra.*

---



---

### CAPUT III.

*De Divino Officio, & Jejunio: & quomodo Fratres debeant ire per mundum.?*

49. **N**ota 1. In hoc capite contineri tria præcepta sub mortali obligantia: 1. Quòd faciant Divinum Officium secundum ordinem

S. R. Ecclesiæ, & Laici dicant sua Pater noster. 2. Quòd FFr. jejunent à festo OO. Sanctorum usque ad Nativ: Domini: & à die Cinerum usque ad Resurrect: Domini: & singulis feriis Sextis per totum annum. 3. Quòd FF. non debeant equitare, nisi manifestà necessitate cogantur, Deinde tres dantur Admonitiones: 1. Ut quando Fratres vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent. 2. Ut FF. sint mites, pacifici, modesti, mansveti, & humiles, honestè loquentes omnibus. 3. Ut in quamcumque domum intraverint, primum dicant: *Pax huic domui*. Denique duæ sunt Libertates: 1. Ut Sanctam Quadragesimam, incipientem ab Epiphania exclusivè, qui voluntariè jejunant, benedicti sint à Domino; qui verò nolunt, non sint adstricti. 2. Ut de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare. Loquendo autem de Officio Divino.

50. *Nota 2.* Quòd *Officium Divinum* sit ritus religiosus externus, auctoritate Ecclesiæ institutus, & certis Personis impositus ad Deum, nomine Ecclesiæ, colendum, & orandum. Hujus velut species sunt Horæ Canonice, Litanie &c. Porrò *Horæ Canonice* sunt preces publicæ, ex Sacrorum Canonum decreto statutæ, à Personis Ecclesiasticis, nomine Ecclesiæ, ad Deum perfolvendæ; quæ in Ecclesia Romana numerantur septem; scilicet: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesp-

Dij



ræ, Completorium. Quòd autem omnes Horæ Canonicæ recitari debeant quotidie ab omnibus Clericis beneficiatis, aut in aliquo Ordine sacro constitutis *devotè*, id est: cum debita intentione, & attentione: & *studiosè*, hoc est: integrè quoad materiam, & ritè quoad formam, patet id ex Concil: Lateran: sub Innocent. III. Cap. *Dolentes*. Quid sit verò Devotio, Intentio, & quòduplex? docent Théologi.

51. Qr. 1. An FF. Minores teneantur ad Horas Canonicas? *Resp:* FF. Minores ab hora Professionis suæ, tenentur ex vi Regulæ, sub peccato mortali recitare horas canonicas, & quidem juxtà ritum S. R. Ecclesiæ. Ità *Clem. V.* Quare omittens culpabiliter unam horam Canonicam etiam minorem, peccat mortaliter, juxtà communem Theologorum. Idem dicendum de omissione Litaniarum maiorum in festo S. Marci, & in tribus diebus Rogationum: necnon de omissione officii Defunctorum in die commemorationis OO. Fidelium Defunctorum. Non peccabit autem F. Minor, si diebus in Breviario notatis, omittat recitare *extra Chorum* officium B. M. V. Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, aut officium Defunctorum; quia S. Pius V. adstrictos Breviario Romano, ab obligatione recitandi prædicta, liberavit. Ex hoc

52. Infer: 1, Quòd FF. Minores, sicut & alii Religiosi, obligentur recitare horas canonicas in Choro: & hoc ex communi sensu,

& expresso præcepto Ecclesiæ, ut patet ex *Clementina de Celebrat. Mis. c. 1.* ubi dicitur: *In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus devotè psallatur:* quæ obligatio gravis est, & sub mortali adstringit totam Communitatem, & ex Officio Superiores; cui ut satisfiat, ad minimum debent esse quatuor Religiosi in Choro. *Sporer de hor. can. cum aliis.*

53. Infer: 2. Quòd per *Psalterium Romanæ Ecclesiæ*, quod in Regula excipitur, intelligi debet Psalterium translationis 70. Interpretum, quò Cardinales utuntur, nec extra Romam ejus est usus. *S. Bonav.*

54. Qr. 2. An FF. Laici teneantur sub peccato mortali quotidie recitare *Pater noster* in Regula præscripta? *Resp:* Affirmativè; quia à principio Ordinis ad id semper obligabantur FF. Laici; non tamen tenentur totidem addere *Ave Maria*, quamvis ex pia consuetudine rectè id addant; quia in Regula nulla est mentio hujus salutationis Angelicæ. Hinc

55. Infer: 1. Peccare mortaliter Fr. Laicum, si omittat recitare unam horam minorem, v. g. Septem *Pater noster* pro Completorio; quia eadem currit ratio de Fr. Laico, ac de Clerico omittente unam horam minorem, juxtà comm: Expositorum.

56. Infer: 2. Obligari omnes FF. Laicos quotidie ad aliquam particularem pro Defunctis orationem persolvendam; quia in Regula id illis specialiter indicitur: & *orent*



pro Defunctis. Quid vero? & quantum orare debeant? cùm Regula non determinet; ideo id relinquitur voluntati ipsorum, ut aliquid specialiter quolibet die recitent pro Defunctis: à *Polit. c. 3. n. 46.*

57 Qr 3. Ad quæ Jejunia tenentur FF. Minores ex sua Regula? *Resp:* Tenentur sub peccato mortali jejunare 1. à festo OO. Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. 2. à die Cinerum usque ad Resurrectionem Domini. 3. Singulis feriis sextis per totum annum, etsi in feriam sextam cadat Nativitas Dmini. Ità etiam *Clem. V. Honorius III. in 3. Lib. Decr. tit. 46.* Per hoc autem differt Jejunium ab Abstinencia: quòd *Abstinencia* importet tantùm abstinentiam à carnibus, & permittat plures in die refectioes totales in cibis esurialibus; *Jejunium* verò Ecclesiasticum requirit non modò abstinentiam à carnibus, & etiam ab ovis, & lacticiis (seclusà dispensatione) sed etiam unicam tantùm permittit refectioem totalem in die. Per hoc tamen non excluditur *Colatio* vespertina modica, ut docent Theologi. Et licèt dicatur in Regula; quod præter hæc tria jejunia, aliis temporibus non teneantur Fratres jejunare; per hoc tamen noluit S. Pater excludere jejunia ab Ecclesia constituta, ad quæ etiam omnes Christiani tenentur, ut sunt: Vigiliæ Sanctorum, & quatuor tempora, prout declaravit *Clem. X.* hæc enim æquè ac illa tenentur ex Regula Fratres observare. Ex his

58. Infer: 1. Quòd FF. Minores, in diebus jejuniorum, tenentur jejunare juxtà morem Patriæ, ità: ut si sit consuetudo Patriæ abstinere in jejunis ab ovis, & lacticiis, etiam FF. Minores abstinere debent, & è contra. Ità 4. *Magistri.*

59. Infer: 2. Quòd etsi FF. Minores Professi, qui nondum 21. ætatis annum compleverunt, teneantur diebus à Regula præceptis jejunare; ad hoc tamen non tenentur in diebus jejunii ab Ecclesia præcepti, sicut & alii ejusdem ætatis Catholici non tenentur. Idem intelligi debet de Fratribus Sexagenariis, si sint debiles. *Sporer supra, Corduba.*

60 Qr. 4. Utrum FF. Minoribus liceat equitare? *Ante Resp:* Sciendum est, quòd equitare in rigore grammaticali fit idem, ac equo insidendo iter facere, aut equo vehi; vulgò tamen equitare dicitur, qui cuivis jumento insidens, aut eò vectus, iter facit. Quare *Mart: V.* in suis Constit: declaravit, per equitare debere intelligi, (sicut *S. Bonav:* intellexit) ut sit Fratribus interdictum, non solum cuicunque animali insidere; sed etiam bigare, & quadrigare. Ad quæst: *Resp:* Fratribus Minoribus prohibitum est, sub peccato mortali equitare; nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. Ità *Clem: V. Cap. 1.* Prohibuit autem S. Pater Franciscus suis Fratribus equitationem ex duplici motivo: primò ob humilitatem, & austeritatem vitæ: secundò ob paupertatem arctio-



rem, & exemplum Christi, atque Apostolorum, qui pedester incesserunt.

61. Infer 1. Quòd secundùm 4. Magistros, S. Bonaventuram, & Seren. Consc. q. 45. Fratres nullà animalium, vel curruum unctione uti possunt; nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur; in tali enim casu licitum erit Fratribus ex Regula, absque omni Superiorum declaratione, equitare: ubi verò necessitas fuerit dubia, dispensatio requiritur Superiorum, si commodè haberi potest. *A Polit. hic n 64.* Potest autem necessitas vera ad equitandum sufficiens esse multiplex, scilicet: vel ratione itineris valde prolixi; aut quia vià impedita est aquis, nivibus &c: Vel ratione negotii convenientis, & urgentis, quod nec commodè differri, nec per alium æquè benè fieri potest. Vel ratione debilitatis Personæ, quæ sine magno detrimento pedes ire non possent. In his itaque casibus, juxtà communem Expositorum, licita erit equitatio: modò tales causæ, necessitatem ad equitandum inducentes, rationabiles sint, & necessariae; si enim causa equitationis non fuerit rationabilis, & necessaria; sed tantùm voluntaria, (licet vera adsit necessitas respectu equitationis) talis equitatio erit graviter culpabilis juxtà *Adrianum Quodlib. 5. art. 2.* Quapropter, ubi in nostra potestate est talem equitandi necessitatem tollere, debemus eam tollere, ut evitetur grave peccatum. Unde sequitur, quòd non liceat Fratri Minori, absque rationabili causa,

causa, accelerare iter, eà intentione, ut fesus, cogatur inde equitare. *A Polit. hic n. 66.* Minus licebit equitare, pro sola animi recreatione.

62. Infer 2. Quòd Infirmus possit licitè equitare ad recreationem, vel exercitium, ut convalescat de infirmitate. *Corduba c. 3. q. 3. pun. 1.* Navi autem vehi, etiam non cogente necessitate, potest F. Minor; si vectio non debeat solvi per pecuniam. Ratio est; quia navi vehi nullò modò est equitare. Dicitur est: *si vectio non debeat solvi*; li enim solveretur per pecuniam, fieret recursus formalis ad pecuniam, qui est illicitus, nisi adsit necessitas vera, ut patebit ex seq. cap. Jam verò Admonitiones S. Patris hòc capite recensitæ, ad malum scilicet fugiendum, & bonum faciendum, intelligendæ, & observandæ sunt, ut jacent. Libertas autem comedendi de omnibus, quæ apponuntur Fratribus, accipienda est in sensu accomodo, nimirum; si illo die ex præcepto Regulæ, vel Ecclesiæ ad jejunium, vel abstinentiam non obligentur.

---

## CAPUT IV.

*Quòd Fratres non recipiant pecuniam.*

63. Nota 1. in hoc Capite contineri duo Præcepta sub peccato mortali obligantia: 1.



Quòd Fratres nullò modò Denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam. 2 Quòd Ministri, & Custodes, pro necessitatibus Fratrum sublevandis, teneantur per amicos spirituales sollicitam curam gerere.

64. Nota 2. Quòd Pecunia, & Denarius non sint Synonima; sed omninò diversa significant, quidquid dicat glossa in cap. *Exivi*, & Marchantius hic. Itaque per *Denarios* intelligitur moneta ex quocumque metallo, aut materia confecta, & publicà auctoritate instituta ad pretium rerum emendarum, aut quempiam alium contractum faciendum. *Pecunia* autem latè sumpta significat omnes res, quæ ab hominibus cum proprietate possidentur, ut dicitur *Can. Totum. q. 3.* Si verò Pecunia accipiatur *strictè*, prout hic in Regula accipitur; tunc significat omnem rem, cujus homines dominium habent, quatenus hæc, taxatò pretiò, datur, vel accipitur loco numeratæ pecuniæ pro aliqua alia re: sic v. g. si frumentum, taxatò pretiò, pro oleo, aut alia re detur; frumentum erit pecunia *strictè*. *A Pol* hic n. 2. Si tamen hæc, & similia accipiantur à Fratribus simpliciter ad usum, aut dentur alicui liberaliter, v. g. pauperi; tali modo non sunt pecunia. Nec pecunia est, dum aliquid accipitur animo commutandi cum alia re ejusdem, vel diversæ speciei, absque tamen ulla taxatione pretii; quia ubi pretii ratio non habetur, ibi nulla est ratio pecu-

niæ, à *Pol* *suprà*. Et licet hæc duo Denarius, & Pecunia sint diversa; tamen per decursum hujus expositionis, ut evitentur continuæ distinctiones, unum pro altero usurpabitur. Jamque

65 Qr. 1. An FF. Minores possint recipere pecuniam, vel saltem ejus usum habere? *Resp:* Nullus Frater Minor, sive sit Generalis, sive Provincialis, sive Guardianus, sive Subditus, sub peccato mortali non potest recipere pecuniam per se, vel per interpositam personam: nec potest ullum pecuniæ usum, etiam simplicem facti habere. Ita declararunt: *Nicol. III. art. 4. Clem. V. c. 4. n. 3. & Innocent. XI. Bulla: Sollicitudo Pastoralis*, ubi ait: *Fratres teneri ad capitale præceptum Religionis FF. Minorum de non recipiendis denariis per se, vel interpositam personam; aliarum enim rerum necessariarum possunt FF. Minores habere usum, licet non dominium; Denariorum autem nec dominium, nec usum: & proinde quavis contrectatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit purè naturalis, seu quæ sit quovis modo politica: cujuscumque Domini sint denarii, seu pecunia, Fratribus Minoribus est omninò prohibita.* Recipere autem pecuniam, seu denarios dicitur ille, qui quocumque modò illam, sive in possessionem, sive in usum quemcumque civilem, vel in auctoritatem acceptat. Recipere pecuniam per se dicitur illi, qui immediatè, & in propria persona illius possessionem, vel usum



acceptant. Recipere verò pecuniam per *interpositam personam* dicuntur illi, qui suâ auctoritate alicui personæ committunt, ut pecuniam recipiat eorum nomine, vel aservandam, vel expendendam ad placitum eorum: imò etiam, qui talem personam suo nomine pecunias recipere sustinent, aut consentiunt. Ratio est; quia quod sit per alium nostro nomine, & auctoritate, à nobis fieri censetur, juxtâ *Reg. jur. 72. in 6.* Ex his

66. Infer: 1. Quòd illi FF. Minores peccant mortaliter contra hoc præceptum Regulæ, de non recipiendis denariis; qui vadunt personaliter quæsitum pecuniam per civitates, pagos &c. etiam si secum habeant aliquem secularem, qui pro ipsis recipiat pecuniam; quia secularis ille esset interposita Persona Fratrum. 2. Qui oblatas pecunias in Ecclesia, Altari, vel alibi recipiunt, aut scienter permittunt deponi; hoc enim est recipere denarios per se; cum recipiantur ut dati Fratribus. 3. Qui tenent in Conventu, Ecclesiâ, Sacristiâ, seu alibi cippos, capsulas, cistas &c. ad colligendum denarios in eleemosynas, vel pro Missis oblatos; quia tam benè per se dicitur recipere pecuniam, qui manu propriâ recipit denarios; quàm qui eos recipit ad cistam, capsulam &c. *Clem. V. §. Porrò.* 4. Peccant graviter, qui tanquàm Domini auctoritative mandant Substituto dantium, ut pecuniam expendat sic, vel sic pro necessitatibus Fratrum. 5. Qui computum juridicum de pecuniâ expensa à

Substituto dantium exigunt. Interrogare tamen, quantum sit de eleemosyna pecuniaria? possunt. *A Pol. n. 44. 6.* Qui pecuniam in mutuum dant, vel dari curant, vel ex illa cambium faciunt, vel ad lucrum, & interesse dari consentiunt. *Nicol. III. §. Cæterum.* 7. Qui in sua pera, vel sporta &c. pecunias recondunt, 8. Qui sinè gravi necessitate, & periculo, alienam pecuniam de loco ad locum transferunt; quia hic est civilis usus pecuniæ; nam tales idem faciunt, quod famuli, sive servi. 9. Qui permittunt, ut apud illos deponatur pecunia cum obligatione, si depereat, illam restituendi. 10. Qui sciunt, non tamen contradicunt, sed permittunt aliquam Personam, propriâ devotione motam, pecuniam per plateas, domos &c. nomine Fratrum requirere. Dico: *Nomine Fratrum*; quia si quis propriò nomine, non Fratrum, iisque ignorantibus id faceret; talis quæstus pecuniarius non esset prohibitus. *A Pol. n. 45. 11.* Qui dant, vel recipiunt pecuniam, vel denarios mediante quocumque contractu civili, tales semper contrahunt pecuniam contra Regulam, Hinc prohibitum est Fratribus vendere, emere &c. de quibus infra.

67. Infer: 2. Quòd in sola extrema, vel gravi necessitate, quando aliter vitæ corporalis necessaria non possunt haberi, liceat Fratri Minori per se, vel per interpositam personam recipere pecuniam ad simplicem tantum facti usum, & sinè dominio, aut pro-



prietate in illam. Ita Nicol. III. art. 2. Et talis necessitas potest esse apud FF. Minores tempore persecutionis inter Infideles, vel hæreticos, ut dicetur infra de Burfario.

68. Infer: 3. Quod non peccet contra hoc Regulæ præceptum ille F. Minor, qui pecuniam contrectat, seu tangit merè materialiter, ut est aurum, vel argentum; quia tantum tactus politicus prohibetur, quod idem est, ac usus pecuniæ propriâ auctoritate factus. Ita Innocent. XI. cit. lo. supra. Potest tamen materialis contrectatio pecuniæ aliò jure, scilicet Divinò, vel naturali esse prohibita. Quapropter, qui denarios non politicè, sed solum ex curiositate tangeret: si hoc facit cum scandalo aliorum; quod ipse advertit, vel advertere debet; peccabit utique magis, vel minus, pro qualitate scandalii. Item, si ex ipso tactu immineret ipsi Fratri cupiditatis periculum recipiendi pecuniam politicè: vel quia ex hoc tactu inclinatur ad aliquod malum; peccabit pro qualitate periculi, cui se exponit sine rationabili causa. Qui verò sine scandalo alicujus, & absque aliquo periculo denarios tangeret; leviter peccaret. peccato curiositatis juxta S. Thom. Quod si aliqua adesset causa tangendi denarios, ut si ducatus aureus manibus acciperetur, ut ex eo deauraretur calix &c: vel si ex urbana humilitate levetur à terra, & tradatur Magnati, è cuius manibus excederat, modò ex hoc nullum

pusillorum sequatur scandalum, neque aliquod periculum; nullum erit peccatum. *A. Pol. C. 4. n. 5.* Et quamvis aliqui dicant, non licere Fratri Minori transferre alicujus pecuniam (seclusò scandalò) etiam in casu, quò ab eodem rogaretur ad evadendum periculum incidendi in latrones, & consequenter in ejusdem deprædationem; alii tamen negant id esse à Regula prohibitum, imò esse charitatis opus, ut tenet à *Politio n. 6* hoc tamen non est de facili practicandum, nè id ipsum Fratri Minori contingat, quod timetur ab alio.

69. Infer: 4. Quod Superiores nostri locales non debeant permittere, ut in Conventibus nostris deponantur pecuniæ alicujus sæcularis, cum obligatione custodiendi easdem, ad quam communiter tenentur Depositarii; quia sic intercederet contractus depositi, Fratribus interdictus ab *Innoc. XI. Bulla: Pastoralis*. Præcisà tamen tali obligatione, & scandalò, ac supposità gravi necessitate, possunt permittere, ut deponantur: modò prius faciant protestationem, quòd si depositum periret, ipsi ad nullam tenerentur restitutionem. *Farinerius, & à Pol. supra n. 7.* Ex quo sequitur: quòd urgente necessitate, quando nempe restitutio rei alienæ aliter fieri nullò modò potest; tunc potest Confessarius recipere à pœnitente pecuniam, & eam Domino proprio restituere. Si verò talis restitutio per alium, aut alià vià facilè fieri potest; non licebit Confes-



fario à pœnitente recipere pecunias.

70. Infer: 5. Quòd FF. Minores non possint esse Dispensatores pecuniarum, etiam alienarum; quia dispensatio pecuniæ ministerialem saltem in se auctoritatem includit, & affert Ordini scandalum, & suspicionis notam. *Clem. V. Exivi. §. Proinde.* Unde si quis relinqueret in testamento pecuniam distribuendam pauperibus per aliquem Fr. Minorem, certum est: quod dictus Frater non posset eam dispensare, & quidem nec per interpositam personam, ut docet *Hugo, à Pol. & Ser. Consc. q. 59.* Consequenter nec nominare potest Fr. Minor aliquam Personam, cui detur pecunia dispensanda, vñ testamenti relicta. Si verò circa hoc consilium tantum quæreretur; posset illud dare Fr. Minor juxtà *Clementinam supra cit.*

71. Qr. 2. An litteræ Cambiales possint recipi, & transferri à Fr. Minore? *Resp:* Si in litteris cambialibus sit expressa pecunia, non ipsis Fratribus immediatè; sed alteri Personæ, sive ab ipso Benefactore nominatæ, sive à Fratribus nominandæ hóc, vel simili modò: *Dabit Joannes Domino N. decem ducatos.* Vel: *dabit personæ nominandæ à Fratre N: tot pecunias expendendas pro necessitatibus Fratrum Conventus N:* sic formatæ Cambiales possunt recipi, & transferri à Fratribus; cum in se nec sint denarii, nec pecunia; sed solum instrumentum, mediante quò pecuniæ dabuntur pro necessitatibus Fratrum Substituto à Benefactore. Si

vero

verò dictæ litteræ sint formatæ cum expressione pecuniæ solvendæ immediatè ipsis Fratribus, hóc, vel simili modò: *Solvat Paulus Fratri N. tot denarios;* non potest F. Minor tales litteras accipere: nisi Dans tales litteras id in eis sic expressisset ex ignorantia, aut inadvertentiâ incapacitatis nostræ. Et ideò monendi sunt Camptores, ut forment litteras cambiales modo licitò.

72. Qr. 3. An FF. Minores possint in via habere *Barfarum*? *Resp:* Nullò modò, exceptò unico casu, quò F. Minor ex obedientiâ deberet transire per loca inhumana infidelium, aut hæreticorum, pro necessitate Ecclesiæ, aut magna Religionis utilitate, ut docent Expositores cum *Sern: Consi. q. 56.* verum & tunc non debent se ingerere ad dispositionem pecuniæ. à *Pol. hic n. 46.* Ratio est; quia juxtà Regulam pecunia procurari non potest, neque ad depositam recurri, nisi pro necessitatibus veris immendentibus, præsentibus, vel certò brevi imminetibus; non autem pro futuris, & possibilibus: jam autem in terris Christianorum non videtur talis necessitas, cui per mendicationem non possit provideri: ergò in itinere habere *Burfarium*, est pro necessitatibus futuris, incertis provisionem facere, quod est contra Regulam. Est autem *Burfarium* Persona à Fratribus itinerantibus conducta, providens eis necessaria, quæ occurrere possunt in itinere, per denarios sive suos, sive ipsorum Fratrum. Nec opponas *Christum Luc: 8.* habuisse secum quasdam mulieres in itinere, quæ ei de facultatibus suis ministrabant: ergo. Nam contra est; *Christus enim*

E



nec rogavit, nec iussit mulieribus illis, ut secum venirent; sed ipsæ sponte sua Christum sequebantur, ut audirent ipsius prædicationem: quâ occasione portabant secum facultates, ut ergâ Christum exercerent actum pietatis, & quidem quantum, & qualiter ipsæ volebant, ut docet *Ser. Consc. suprà*: quod & ipsi Fratri Minori licitum esse videtur, si aliquis Benefactor sponte sua sese illi in itinere associaret, & proprio motu vellet illi victualia providere: quod tamen (exceptâ necessitate) ad evitandum scandalum non est practicandum, quod à viris perfectis semper est vitandum, ut monet Clem. V. *Cap. Exivi.*

### De Substituto Dantium.

73. Qr. 4. Quid sit Substitutus Dantium? & an eum possint habere FF. Minores? *Resp. ad 1.* Substitutus dantium (quem nos improprie Patrem, vel Matrem spirituales solemus vocitare) juxta *S. Bonav. q. 25.* est illa Persona, cui à Benefactore pecunia committitur, ut nomine suo eam servet, & vice suâ procurat eam aptius expendendi in utilitatem Fratrum, secundum quod sibi commissum est. Ex quo patet: quòd quidquid Substitutus facit, totum id facit non proprio, aut Fratrum nomine; sed nomine, & auctoritate Dantium eleemosynam; penes quos Dantes tam diu manet dominium pecuniæ oblatæ, (etsi contingat eam transire etiam per plures Substitutorum manus) donec converja sit in usum Fratrum, ut expressè declarat *Nicol. III.*

*c. Exivi. §. Caterum,* dicens: quòd penes ipsum dantem remaneat dominium proprietatis, ac possessio ipsius pecuniæ, cum libera potestate revocandi sibi pecuniam, usque ad conversionem in rem deputatam. Debet autem Substitutus, in administratione pecuniæ apud ipsum depositæ, semper se dirigere juxta intentionem dantis: proinde si eam pro aliqua determinata necessitate, v. g. pro Infirmis Dans deposuisset; pro hac solum expendi debet, & nullatenus pro alia. Si vero Dans deposuisset eam pro necessitatibus Fratrum *indeterminatis*; Substitutus posset eam pro quavis Fratrum necessitate *veru*, præterita, præsentis, vel certò imminenti expendere; quia talis præsumitur Dantis intentio. *Resp. ad 2.* Substitutum dantium possunt habere FF. Minores, juxta Declarationes Summi Pontificum: Gregorii IX. Innocent. IV. & Nicol. III. art. 4. absque eo, quòd in aliquo puritas Regulæ per hoc infringatur. Et licet in his Constitutionibus declarantibus Regulam dicatur: quòd dictus Substitutus Dantium debeat toties, quoties nominari à dantibus eleemosynam pecuniariam; subjungitur tamen ibidem: quòd si hoc ipse Dans nollet facere, vel non posset; quia vel recessus ejus immineat: aut quia, quibus velit committere, notitiam non habeat fidelium Personarum, aut quacunque aliâ occasione, vel causâ; possunt in his casibus Fratres nominare, vel præsentare aliquem: qui si à benefactore dante denarios approbetur; ipso factò, quò ei pecunia consignatur, constituitur Substitutus Dantis pecuniam. Et ulterius additur: quòd liceat Fra-



tribus tali Substituto necessitates suas insinuare, specificare, ac eum rogare (non verò mandare) quod solvat. Possunt etiam Personam eandem exhortari, ac inducere, quod fideliter in re commissa se habeat, & animæ suæ salutem, in commissa sibi executione, provideat: ita tamen: quod ab omni ejusdem pecuniæ administratione, & contra prædictam Personam actione in judicio, vel extra. Fratres abstineant omni modo. Hic tamen Substitutus non debet esse famulus Fratrum, juxta Petrum Joannem, & à Pol. n. 35. nè appareat eorum interposita persona; verum hoc tantum ratione scandali.

74. Qr. 5. Quid faciendum, si contingat, quod substitutus dantium subtraxerit de elemosynis pecuniariis, pro necessitatibus Fratrum apud se depositis? Resp: ad hanc quæstionem respondebit resolutio data in Capitulo nostro Generali ad sequentem casum. Sempronius amicus Spiritualis, seu Substitutus Conventus Capucinorum per annos duodecim, suscepit varias à benefactoribus elemosynas tam determinatas, quam indeterminatas: hæc autem omnia non integrè, sed semper minus declaravit Gvardiano, & residuum in suos usus convertit: postea mortuus est. & Fratres alium denominarunt Substitutum dantium; qui in manuscriptis Defuncti clarè reperit notam; quod Defunctus successivè 600. florenos de elemosynis subtraxerit: quod quidem novus Substitutus hæredibus ostendit, & eos ad restituendum monuit; sed illi compensare recusant. Ideò quæritur 1. An possint adstringi Defuncti hæredes ad solvendam subtractam eleemo-

synam? 2. Cùm ipsi Fratres neque per se, neque per Syndicum Apostolicum id agere possint, quis illud debitum exigere possit, quando ipsi Domini pecuniæ non possunt, aut nolunt per se exigere? 3. An possit aliquis bonus Amicus Ordinis de modo legali, exigendi, à Fratribus nostris illuminari? 4. Quomodo ille Amicus illud exigere possit. Respondit Capit. Gen. 1747. Ad 1. Quia debitores sunt, possunt adstringi, modò non à Fratribus, neque à Syndico Apostolico. Ad 2. Quando Domini Benefactores non contradicunt actioni, potest Episcopus, vel unus de populo ut Protector pauperum (& ego addo: vel novus Substitutus, utpotè Substitutus dantium) hoc debitum exigere ab hæredibus. Ad 3. Et talis potest instrui, & illuminari à Fratribus, absque mandato; quia instructio simplex non est actus proprietatis. Ad 4. Sicut ipsi Domini Benefactores, in quorum nomine exigit. Reliqua de Substituto vide n. 99.

### De Recursu ad Pecuniam.

75. Nota, quod postquam S. Pater districtè in Regula præcepit, nè Fratres sui recipiant per se, vel per alios denarios, vel pecuniam ullò modo: nolens eos relinquere, utpotè providus Pater, absque modo vivendi; obligat sub peccato mortali omnes Ministros, & Custodes ad gerendum sollicitam curam pro necessitatibus Infirmorum, & Fratribus induendis, necnon aliis similibus necessitatibus: & quidem, ut his provideant per amicos spirituales, etiam cum recurru ad pecuniam, si aliter, nempe: vel per



eleemofynas à Benefactoribus in natura oblatas, vel humiliter mendicatas, vel laboritiò acquifitas, providere non poffent. Ità Nicol. III. §. *Nec quisquam*.

76. Qr. Quid 6. fit incurrere ad pecunias? *Resp:* Recurrere ad pecunias, eft procurare rem aliquam mediante pecuniâ. Et hoc diverfimodè contingere poteft: *imo* per fe, vel per interpositam perfonam. *Per fe* recurrerent Fratres ad pecuniam; fi eam propriis manibus tractando, res fibi neceffarias emerent, folverent, &c. *Per interpositam Perfonam* id præstarent, si perfonam aliquam fecularem constituerent, aut etiam rogarent, ut hoc idem faceret in eorum nomine, & auctoritate. *2do*. Recurri poteft ad pecunias recurfu *formali, effectivo, & proprio tali*, (qui recursus in certis casibus est licitus) quod contingit, si Fratres aliquem Benefactorem hæc intentione accedunt, suis precibus movent; & sive directè, sive indirectè, hoc est; sive terminis claris, sive obsecris, & implicitis pervadent, ut pro suis pecuniis res ipsis neceffarias, v. g. lanam, oleum &c. emat, solvat, &c. *3tio*. Recurritur *Materialiter, permiffivè, occasionaliter, & improprie*, quod fit, si Fratres Benefactorem accedunt, antea jam sponte fuâ ad aliquam certam, vel ad quamcunque præsentem neceffitatem tollendam, determinatum; qui sibi jam proposuit pecuniis suis Fratribus succurrere; hancque voluntatem suam Fratribus jam manifestavit, ità: ut nihil aliud agendum restet, quàm id, quod talis Benefactor expectet tempus, & modum, quò suam voluntatem in Fratrum utilitatem, certior la-

tus, exequi valeat. Talis recursus materialis etiam contingit, si Fratres accedunt Benefactoris *Substitutum*, qui jam in commissis habet, ut Fratrum neceffitatibus, si quas ipsi insinaverint, succurrat. Item: si simplici oculo Benefactorem pro re, alias per se loquendo, mendicabili rogant; licet benè prævideant, & permittant hanc à Benefactore pecuniâ comparandam, vel quia eam domi non habet: ut si petant à Mercatore panem: vel quia ipsi magis placet eum pecuniâ emptum Fratribus elargiri, mittendo eos v. g. ad Piftozem. Rationem horum dat *P. Bernardinus Gandav: citatus à P. Florido in Quæstionibus selectis, q. 1.* quia sic per se non recurritur ad pecunias: sed ad rem: scientia autem, quod res à Benefactore spontè ematur, non constituit recursum; sed procuratio emptionis.

77. Qr. 7. In quibus casibus. & neceffitatibus liceat Fr: Minoribus ad pecunias recurrere? Ante resp: *Nota I.* quòd juxtà communem Expositorum doctrinam, teneamur strictè, nempe sub mortali ad usum strictum in illis rebus; ubi illum Regula sub peccato exprimit, seu: quarum rerum usum Regula restringit; ut ad habendum unum tantum Habitum, & quidem ex vili panno: ad abstinentiam à carnibus tempore, quò jejuniùm præcipitur: ad carentiam calceamentorum &c. Ad earum autem rerum usum, quem Regula expresse non restringit, non tenemur; nisi ad moderatum usum pauperi nostro statui conformem, ut: ad cibum, & potum moderatum in quantitate, & qualitate: ad ædificia, utensilia, & ornamenta Ecclesiastica moderata.



78. *Nota 2.* Quod *Necessitas Stricta*, de qua hic quaeritur, (nam de strictissima, seu extrema per se patet, quòd ea stante, Fratribus liceat ad pecunias non tantum recurrere: sed etiam propriis manibus tractare; eò, quòd lex naturalis plus obliget, quàm humana.) juxta *Sant Thesauro, Bernard. Gandav.* sit illa, quæ si non tolleretur, Fratres paterentur grave damnum, aut detrimentum, aut notabili deberent carere bonò five temporali, five spirituali: ut si non haberent stragulas ad cubandum, calices ad celebrandum: aut, in Provincia nostra frigida, si deberent longo tempore carere carnibus, piscibus &c. *Necessitas verò Accomoda* est, quæ stante, licet Fratres vitam non adeò acerbam ducere deberent; si tamen non tollitur, officia Religionis commodè non possent peragi: aut è contrà, si tollitur, congruam Fratribus affert utilitatem; quæ Fratres in functionibus, & rebus pauperi statui ipsorum convenientibus commodè, utiliter, rationabiliter, & inter limites moderati utús, charitativè se habent. Ejusmodi necessitas accomoda, est charitas debita Hospitibus, itinerantibus, & decrepitis exhibenda: plures cibi certis Festivitatibus: congrua stas temporibus recreatio: ornatus Altarium pro Festorum decore variandus, &c. Jam ad quaesitum.

79. *Resp: 1.* Ad faciendum *Recursum formalem*, effectivum, & propriè talem, requiritur *necessitas gravis*, & *stricta*, supra descripta, & quidem tam quoad res, ad quarum usum strictum vi Regulæ expressè tenemur; quàm quoad alias res usui nostro pauperi concessas. *Ra-*

*ti-*

*tiò primi est*, quia præcepta in *Regula* expressa obligant sub mortali: ubi ergò *Regula* usum strictum præcipit, eam prævaricari non licet sine magna, & stricta necessitate, ut ex aliis præceptis Ecclesiæ constat. Sic Fratribus non licet habere duas tunicas cum caputio, nec ex meliori panno, etsi hoc eis commodum foret; nisi in casu magnæ infirmitatis, debilitatis; cui si non succurreretur, æger notabile pateretur detrimentum sanitatis, &c. Ubi tamen dispensatio, seu verius declaratio in dubio locum habet. *Ratio Secundi est* ex ipso textu Regulæ; ubi S. Pater quasi pro exemplo exprimit necessitatem infirmorum, & vestimentorum: ut hinc colligant Superiores, quod in quibusdam etiam aliis necessitatibus eis ad pecunias recurrere liceat, scilicet: gravibus, & strictis; prout etiam refertur S. Patrem, dum aliquando interrogaretur, in quibus necessitatibus fas esset ad Amicos spirituales recurrere? respondisse: tunc congruum fore, quando esset debitum, hoc est: quando talis recursus sine peccato omitti non posset, obligante scilicet ad illum vel justitià, vel charitate, vel pietate, vel religione: ex quo graves Auctores gravem arguunt necessitatem indicari. Ita 4. *Magistri, Corduba &c.* Patet id etiam ex declaratione Clem. V. qui §. *Porro* ait: *Cum recursus ad amicos spirituales expressè tantum in duobus casibus, secundum Regulam, concedatur, videlicet: pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis: idque pie, & rationabiliter, consideratà necessitate vitæ, ad alias necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, cessantibus, elemosynis* (intellige

G



pecuniariis) *sepedictus* Prædecessor noster duxerit extendendum: attendant Fratres, quòd pro nullis causis, quàm prædictis, vel similibus in via, vel alibi recurrere liceat eis ad amicos hujusmodi, sive sint dantes pecunias, sive deputati per ipsos, vel depositarii.

80. *Resp:* 2. Ad faciendum recursum *Materialem*, & improprie talem sufficit necessitas accomoda, seu: ad pecunias spontè oblatas, vel depositas apud substitutum dantium licet recurrere etiam pro illis rebus; quæ etsi strictè necessariæ non sunt, sunt tamen statui nostro pauperi utiles, & pro diversitate temporum, locorum, vel personarum congruæ: & vel maxime! si pecuniæ spontè oblatae, vel depositæ, fuerint pro ejusmodi necessitate ab ipso Benefactore determinatæ, & assignatæ. Ità *P. Floridus Burhus*. q. 2. Ratio horum desumitur ex diversorum Capitul. General. decisionibus, inter quas etiam sequentes sunt. 1. *Si, Missas celebrantibus Fratribus, relinquunt in manu tertii pecunia pro pitantia; possunt Fratres recurrere ad talem.* Cap. Gen. 35. Anno 1662. 2. *Si devotus dat pecunias vel spontè, vel pro Missis: possunt Fratres dare illuminationem pro pitantia, si illa petitur, intellege saltem virtualiter.* C. G. 40. An. 1691. 3. *Substituti dantium possunt uti intentione præsumptâ, seu Epikeia: & Fratres possunt acceptare ea, quæ ab eis offeruntur: & si non offeruntur, possunt humiliter petere res verè necessarias ex charitate, habitâ licentiâ P. Provincialis.* C. G. 41. Anno 1698.

4. *Licet facere recursum ad Substitutum pro pitantia de eleemosynis indeterminatis; à fortiori verò de determinatis ad pitantiam: nullò autem modo de eleemosynis ab Amico spirituali determinatis ad aliam speciem.* C. G. Anno 1775. Jam verò Pitantiâ nunquam universaliter habita fuit pro re ita necessaria, ut ratione illius recursus fieri posset verus, & effectivus, prout declaravit Cap. Gen. 1685. ergò clarè deducitur, quòd si semel ad pecuniam spontè datam, & depositam recurrere liceat, quin hoc sit recursus *formalis*; hoc idem in aliis necessitatibus non strictis, sed solum accomodis fieri concessum sit.

81. *Resp:* 3. Licet etiam in necessitatibus accomodis recurrere ad pecunias *indeterminate* depositas, ità: ut Benefactor eas deposuerit pro veris quidem necessitatibus præsentibus, vel proximè imminentibus; non tamen determinaverit, pro quam præsentè necessitate in specie, aut individuo magis, quàm pro altera eas expendi velit: relinquens Fratribus electionem, & insinuationem. Ità *idem P. Florid. cit. lo.* Ratio est ex *Nicol: III. § Cæterum*, ubi expressè declarat, quòd etsi Fratres ad pecunias, quæ in manibus Substitutorum sunt, jus aliquod, & proprietatem non habeant; liceat tamen Fratribus suas necessitates Substituto insinuare, ac specificare, eumque rogare quòd solvat, & voluntatem Benefactoris adimpleat: quæ licentiâ insinuandi, & specificandi utique clarè de pecuniis indeterminatis debet intelligi; dum enim pecuniæ à Benefactore sunt determinatæ ad certam rem; Substitutus, per se loquendo, non



potest mutare intentionem Benefactoris, nec Fratres aliam rem necessariam insinuare, & specificare. *Confirmatur*, enervando sententiæ rigidioris fundamentum. Si ad pecunias indeterminatè depositas recurrere non liceret, hoc idè, vel quia pecuniæ *indeterminatæ* sunt: vel quia necessitates, pro quibus expendi deberent, solum *accomodatæ* sunt: sed neutra ratio prohibet: ergo. *Non prima*; quod scilicet ejusmodi pecuniæ *indeterminatæ* sunt; nam et si indeterminatæ sunt explicitè; sunt tamen determinatæ implicitè & virtualiter, (quod in rebus moralibus sufficit) quatenus eas datus simpliciter Benefactor, eo ipso vult, ut pro determinandis à Fratribus necessitatibus expendantur. Unde etiam Benefactores interrogati, ordinariè respondent: voluntatem ipsorum esse determinatam, ad quamcunque, quam Fratres elegerint, necessitatem tollendam. *Nec obstat ratio secunda*, quod nempe necessitas sit solum *accomoda*; quia si licet in hoc casu recurrere ad pecunias *determinatas*, eò quòd talis recursus non sit recursus ad pecunias; sed potius ad ipsam rem, pro qua, sine còperatione Fratrum, pecunia deposita est, & ejus depositionem non intendunt, sed solum sciunt, & admittunt: non est, cur necessitas solum *accomoda* obstat: ergo.

82. *Dices* 1. Plures Expositores reprobant, & protestantur non tantum contra recursum ad pecunias *indeterminatas*; sed etiam contra depositionem talium pecuniarum, ita: ut Fratres sine peccato consentire non possint, ut tales pecuniæ à Benefactore in eorum commodum deponantur. Et in specie Sant Thesauri opponit

8mo. Declarationem Nicolai III. §. *Cæterum*, & Clem. V. §. *Porro*, ubi dictos Pontifices asserit declarare: quòd non sit minoris culpæ pecunias indeterminatas acceptare. 2do. Idem conatur probare ex P. Joanne Philippo dicente: non licere pecunias *indifferenter* oblatas acceptare, & ad eas recurrere. *Resp.* 1. ad P. Sant Thes. quòd hic Pater non modicam dictis Pontificibus faciat injuriam, dicendo Eos reprobare depositionem, & recursum ad pecunias *indeterminatas* jam depositas; nam dicti Pontifices hunc recursum non modò approbant; verum etiam eundem exigunt, antequam novas & determinatas pecunias procurari concedant, ut legenti Bullas eorum constabit, præcipuè *Nicol. III.* §. *Si verò modum licitum.* *Resp.* 2. Intervenire hic, ut notat P. Cyprianus fol. 285. non modicam æquivocationem inter pecunias indeterminatas, & indifferentes: nam licet omnis pecunia indifferens sit etiam indeterminata; non tamen è contra. Pecunia enim *indeterminata* est illa, quæ pro omnibus, & singulis præsentibus, aut certò imminentibus necessitatibus veris (non verò pro curiositatibus) est deposita; licet in individuo, & explicitè non sit determinata pro una potius, quàm pro altera; sed pro singulis, sine discrimine, ex ipsa intentione dantis. *Indifferens* autem est illa, quæ reponitur ita indifferenter, ut deponenti par sit, sive pro rebus necessariis præsentibus, sive futuris incertis: sive pro rebus pretiosis, aut curiosis expendatur. Itaque contra tales indifferentes, & indeterminatas, tam quòd ad depositionem, quàm quòd ad recursum Expositores communiter protestari con-



cedimus; non verò contra indeterminatas mox descriptas. Tales enim indifferentes deponi facere, aut consentire, sapit nimiam provisionem, & thesaurizationem: suntque Fratribus in laqueum recurrenti pro rebus superfluis, pretiosis, curiosis, quod utique non licet: quæ tamen pericula in recurfu ad pecunias indeterminatas non subsistunt. Jam verò *Joannes Philippus* hoc tantùm dicit, quòd non liceat pecunias indifferenter oblatas acceptare, & ad eas recurrere, nisi pro necessitate præsentis, vel certò futura, quod ultrò conceditur.

83. *Dices.* 2. Qui vult finem, vult etiam media: ergo qui recurrit ad Substitutum v. g. pro carne, apud quem scit pecunias esse depositas, vult erogationem talium pecuniarum, & sic recurrit formaliter ad pecunias, quod etiam juxta nos in necessitatibus accomodis non licet. *Resp:* d. a. vult etiam media voluntate antecedente, in casu, quò pecunia jam est deposita, aut Benefactor jam determinatus, n. 2. vult media voluntate consequente, seu consentiente in voluntatem præviam Benefactoris, C. a. & n. c.

84. *Dices* 5. Multæ sunt Decisiones Capituli. Gen. contra hanc nostram resolutionem. Sic r. Cap. Generale 1733. celebratum resolvit: Quòd si Fratres acceptent à Substituto pitantiam, quam sciunt mediantibus pecuniis indeterminatis procuratam, committunt verum recursum. 2. Idem Capitulum declarat, quòd sit recurfus ad pecunias, si Fratres accedunt ad celebrandum, quando sciunt pro Missis deponendas esse pecunias. 3. Cap. Gen. 1698. re-

solvit: Si Benefactor relinquit in manibus sui Substituti pecunias in gratiam alicujus Fratris: non licet huic recurrere ad Substitutum v. g. pro tabaco, vino. *Resp:* 1. indirectè. His resolutionibus opponi possunt aliæ aliorum Capitulorum Gen. declarationes. Sic imò Cap. Gen. 1679. resolvit: Si Fratribus nescientibus, fuit deposita pecunia indeterminata in manibus Substituti, licet tunc nullam habeant necessitatem; illa tamen postea occurrente, possunt Fratres licetè ad illam recurrere. 2. In casu, quò aliquis devotus dat pecunias vel pro Missis, vel aliàs, ut eæ pro Fratrum necessitatibus expendantur; possunt Fratres dare illuminationem etiam pro pitantia. Cap. Gen. 1691. 3. Clemens XII. 1733. ad instantiam R. P. Jordani Wasserburg: Definitoris Generalis declaravit: quòd ex deposita pecunia licet Capucinis recipere, & petere à Patre Spirituali ea, quæ ad usum moderatum spectant. *Resp.* 2. directè. Ad 1. Declarationem d. a. Fit recurfus materialis, de quò Regula non loquitur: c. a. fit recurfus formalis n. a. & c. Ad 2. dico: Si Fratres positivè intendunt remunerationem pecuniæ pro Missis, & hoc Benefactoribus insinuant; tunc talis accessus ad celebrandum erit recurfus ad pecuniam: actus tamen merè internus, quòd prævident, aut sperant satisfactionem pecuniariam, non est recurfus à Regula prohibitus. Ad 3. dico: Si Tabacus, virum &c. habentur pro rebus inutilibus, superfluis, & nullò modò, nec accomodè quidem necessariis, non licebit: secus, si aliter. Universaliter autem ejusmodi Decisionibus Generalibus



proprium est: ut id sæpè decident, quod perfectionis, & de consilio est: aut loquuntur de recurſu ut sic, five propriè, five impropriè tali: aut de pecuniis indifferentibus pro necessitatibus longè futuris, incertis: aut sine differentia Provincialium &c. *Ità eruditè P. Florid. cit. lo.*

85. Qr. 8. Quibusnam ex Regula incumbat facere recurſum formalem pro necessitatibus Fratrum? *Resp:* Juxtà mentem Regulæ videtur, quòd soli tantùm Ministri, & Custodes talem recurſum facere possunt: juxtà verò Declarationem Nicolai III. etiam aliis Fratribus, præcipuè Superioribus Locorum, potest hoc munus delegari; sic enim *art. 7.* dictus Pontifex ait: *Concedimus, quòd ipsi Ministri, & Custodes possint per alios hujusmodi curæ sollicitudinem exercere.* Quid verò nomine Custodum intelligi debeat? variè de hoc sentiunt Expositores: alii enim cum S. Bonaven: & 4. Magistris dicunt: quòd nomine Custodum etiam Gvardiani intelliguntur: veriùs tamen alii sentiunt, dum asserunt: quòd Regula ibi nomine Custodum intelligat solum illos, qui præſunt aliquibus Conventibus tanquàm Provinciales, eos regendo, visitando &c. uti & defactò dantur tales Custodiæ. Et ratio est, quia si Gvardiani nomine Custodum venirent, competeret ipsis *ex officio*, ut competit Ministris, facere recurſum formalem pro necessitatibus Fratrum; atqui hoc ipsis non competit *ex officio*; sed tantùm potest competere ex delegatione, ut patet ex citatis Pontificis verbis: ergo.

86. Inſer: Quod cum Gvardiani, vi officii sui, non habeant, facultatem faciendi recurſum formalem.

malem pro necessitatibus Fratrum; necesse est: ut toties, quoties recurrant pro eadem ad Ministrum Provinciale. An verò etiam in recurſu materialiter toties, quoties Gvardianis sit recurrendum pro licentia ad P. Provinciale? in hoc consulendum est Definitorium cujuslibet Provincia: quamvis defactò in multis provinciis jam usus obtinuit, prout & in nostra, ut procuranda: v. g. salpa, oleum, candelæ, &c. per pecuniam indifferentem, absque tali recurſu procurentur.

*De Conditionibus, in Recursu ad pecunias, observandis.*

87. Nota, quòd, ut, five Ministri, & Custodes; five alii Fratres ab eis delegati, licitè possint facere recurſum formalem ad pecuniam; debent sequentes servare conditiones: quarum aliæ se tenent ex parte Rei, pro qua faciendus est recurſus; aliæ verò ex parte modi recurrendi, seu ex parte Fratrum recurrere volentium.

88. Conditiones ex parte Rei sunt quinque. *Prima est:* quòd res, pro qua fit recurſus, debet esse verè necessaria; attendendo nihilominus semper ad quantitatem rei: item, ad statum nostrum pauperem, & obligationem vocationi nostræ convenientem; nè res, pro qua fit recurſus, excedat in pretio, quantitate, curiositate &c. *Clem. V. §. Licet.* Hinc, quia pro Paramentis Ecclesiæ sufficit materia lanea, non debet comparari bombycea, exceptis iis, quæ concedunt nostræ Constituti: Gen: Et licet Nicolaus III. declarans Regulam *art. 2. §. Profectò*, asserat licitum esse Fratri-



bus Minoribus *usum moderatum* rerum necessariorum, tam ad vitæ sustentationem, quam ad Officiorum executionem; quia tamen non pro omni eo, cujus usus nobis est licitus, est etiam licitus recursus propriè talis ad pecuniam; hinc firmiter tenendum est, quòd nonnisi urgente, gravi, & strictà necessitate recurri possit ad pecuniam recursum formali.

89. *Secunda Conditio*: ut necessitas illa vera, sit vel præterita, vel præsens, vel certò imminens, ac determinata; non verò futura, possibilis, & incerta, quæ indicat diffidentiam, & idè prohibita à Nicolao III. art: 3. §. *Insuper*. illis verbis: *vel sub colore providentiæ in futurum*. Hinc attendere debet Superior localis, nè apud Patrem spiritualem, hoc est Substitutum dantium, superfluum eleemosynæ pecuniariæ provisionem retineri permittat; quæ spectatis hic & nunc ordinariè occurrentibus necessitatibus, & consideratò Fratrum numerò, videtur excessiva: quæ proportio, & excessus sicut à P. Provinciale dijudicari debet; sic necesse est; ut is talem excessivam eleemosynam tollat, & Patrem spiritualem roget; quatenus quod superfluit, ad alium magis pauperem Conventum, quem R.P. Provincialis denominare potest per Episcopiam, seu per voluntatis ipsius Benefactoris interpretationem (si ipsemet conveniri non potest, aut quia non expedit eundem convenire, ut declarat Nicol: III.) transferat, seu transferri procuret.

90. *Tertia Conditio*: Ut non adsint aliæ eleemosynæ pecuniariæ indifferentes, seu indeterminatæ, quibus possit præteritis, præsentibus, vel imminentibus certò necessitatibus occurrere; quia

*Nicol. III. §. Cæterum, & Clemens V. §. Porro* concedunt quidem facultatem recurrendi ad Amicos spirituales; sed cessantibus eleemosynis, & meritò: nam existentibus eleemosynis pecuniariis indifferentibus, nulla haberetur necessitas; quæ tantum supposita, recursus rigorosus fieri conceditur.

91. *Quarta Conditio*: Ut res illa, quæ dicitur necessaria, non possit viâ mendicationis æquè faciliter, seu commodè haberi: si enim ita possit haberi; non adesset necessitas requisita ad faciendum recursum propriè talem, imò nec impropriè talem, secus enim tolleretur nostra mendicitas. Dixi: *æquè faciliter*; nam si Fratres cum notabili incommodo, spirituali jactura, & longi temporis dispendio circumvagari deberent; adessent verò pecuniæ indeterminatæ, melius esset in tali casu ad eas recurrere. *P. Florid. q. 3. Siguenza § 19.* Videant tamen hic negligentès Collectores, nè ipsi sint in causa, quod res postea comparari debeant per pecunias, quas poterant procurare per humile Deo gratias.

92. *Quinta Conditio*: Ut necessitas illa sit propria, seu Fratrum; nam pro necessitate aliena, sive sæcularium, sive aliorum Fratrum; suæ curæ non commissorum, non licet procurare pecuniam. Ratio est; quia solum pro prædictis propriis, vel sibi commissorum necessitatibus pecuniæ procuratio ex Regula, & Nicolai III. declaratione conceditur. Et ut ait Clemens V. §. *Porro*: quòd ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quòd expresse non conceditur, intelligitur denegatum; prohibetur autem nobis generaliter pecuniæ procuratio. Ita à P. Col.



hic n. 26. Ser: consc: q. 15. quidquid contrā dicat P. Floridus cum aliis lo. suprà cit. Recommendare autem, aut rogare humiliter aliquem Benefactorem, ut hujus, vel illius pauperis necessitatibus, etiam mediante pecuniâ, prov. dere velit, non est illicitum, à Pol. suprà cit. servatis tamen sequentibus conditionibus: 1. ut talis recommendatio, si sit faciendâ à privato Fratre, fiat cum licentia Superioris. 2. ut nomine persona illa pauper, quæ recommendatur. 3. ut casus sit miserabilis, & magnæ pietatis.

93. *Conditiones servandæ ex parte modi recurrendi, & Fratrum recurrere volentium ad pecunias, sunt sequentes Odo: Prima:* ut occurrente necessitate verâ (cessantibus eleemosynis) non recurratur ad pecuniam mutuô accipiendam, sumptô mutuô in suo rigore, seu cum obligatione civili eam restituendi; cum ad hoc nequeant se Fratres obligare, eò, quòd in mutuô propriè tali transferatur dominium pecuniæ mutuatæ in mutuatarium. Possunt tamen eam recipere mutuô impropriè tali, hoc est sine obligatione civili eam restituendi; attamen cum promissione curam agendi fideliter, quòd per eleemosynas, & alios amicos spirituales velint satisfacere mutuanti, ut ait Nicol. III. §. *Cæterum*. Pariter non possunt Fratres mutuum dare, ob eandem rationem. Et quamvis P. Floridus q. 3. §. 2. asserat, licere Fratribus Benefactorem rogare, vel ejus Substitutum, ut de pecunia pro Fratrum necessitatibus deposita tertio cuidam quidquam daret; tamen ipsemet statim dicit, minimè id consultum esse; eò, quòd plura absurda exinde oriri possint.

94. *Secunda conditio:* Ut necessitatem, pro qua pecunia petitur, Fratres in particulari specificent Benefactori, si id commodè fieri potest: & hoc propter bonum exemplum, & ad evitandam materiam eujuscunque suspitionis, quæ ex generali procuratione oriri posset; melius enim sæculares ædificantur, & libentius dant eleemosynam, cum eis necessitates exprimuntur. *A Pol. n. 31. Dixi: si id commodè fieri potest:* quia si occurreret talis necessitas vera, quæ sine scandalo, aut aliquo gravi incommodo specificari non posset: tunc licitus esset recursus non specificatâ necessitate in particulari

95. *Tertia conditio:* Ut caveant Fratres, nè plus scienter pecuniæ procuretur, quàm pro certa necessitate tollenda verosimiliter necessarium videtur; reliquum enim foret superfluum, & illicitum: & ideò non possunt illud Fratres in aliam necessitatem, licet veram, convertere, sine licentia dantis. Quapropter præ oculis habere debent doctrinam Nicolai III. §. *Quia verò*, ubi sic dicit: *Cum ad determinatam aliquam necessitatem, per aliquem (intellige Benefactorem) pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari possit à Fratribus, quòd, si quid de pecunia ipsa (habita necessitate determinatâ) supererit; consentiat ipse concedens, quòd residuum præfatæ pecuniæ in res alias, pro aliis ipsorum Fratrum necessitatibus, convertatur: quò non consentiente prædictis, ipsum residuum restituatur eidem. Caveant tamen Fratres, ut non plus scienter concedi consentiant, quàm*



verosimiliter aestimari possit rem necessariam, pro qua pecunia conceditur, valituram. Quod si Fratres, à dante pecuniam, omiserint ad id accipere licentiam ex oblivione, & dans pecuniam absens fuerit, ita, ut commodè ab eo exigì consensus non possit; tunc Substitutus dantis alii Fratrum necessitatibus poterit de superfluo providere. à *Pol. n. 52.* Hæc tamen cautela in pecuniis indeterminatis adhibenda non est, propter intentionem virtuales dantis, quæ indeterminatè respicit singulas necessitates Fratrum. à *Pol. n. 53.*

96. *Quarta conditio:* Quòd quando pecunia pro necessitatibus Fratrum ab aliquo offertur, Fratres nullò modò aliquem possunt nominare, aut præsentare, cui illa pecunia detur, vel committatur expendenda; talis enim esset interposita Persona Fratrum: nisi probabiliter advertant ipsum Benefactorem, vel ejus famulum, per quem pecunia submittitur, nolle, aut non posse dictam pecuniam per se expendere: quò casu, possunt aliquam Personam fidelem, præsentem, vel absentem denominare, & præsentare, cui elemosyna committi valeat: hoc semper salvò manente, ut offerenti pecunias liberum relinquunt faciendi, quidquid ipsi placuerit. Et hoc intelligendum est, dum Persona illa præsentaretur tanquam substituta; secus verò, si præsentaretur immediatè illa persona, cui debetur pecunia ut puta arcularius, aut siber &c. quia in tali casu Persona illa non haberet rationem Substituti, sed Creditoris. *Nicol. III. §. Cæterum.*

97. *Quinta conditio:* Dum Fratres recurrunt ad pecuniam pro necessitate imminente, quæ non

est statim pro illa necessitate expendenda: debent Fratres informare tam Dantem, quàm ejus Substitutum, quòd dominium illius pecuniæ maneat semper apud Dantem, cum libera potestate eam pro libitu repetendi, donec in usus Fratrum expendatur. Quod intelligi debet, si dans, vel Substitutus ignorarent, qualis sit Fratrum profectio; quia tunc opinari possent, quòd dominium, seu aliquod pecuniæ jus apud Fratres maneat, quod non esset sine scandalo. Sed si semel Fratres eos de sua professione docuerint; non videatur hæc protestatio semper facienda. *Hugo. à Pol. n. 38.*

98. *Sexta conditio:* In casu, quòd pecuniæ per manus plurium Substitutorum transire deberent, Fratres à Dante pecuniam petere debent licentiam plures Substitutos subrogandi. Quodsi obdistantiam, vel alia de causa ad primum Dantem non possint, vel nolint recurrere pro dicta licentia; possunt cum scitu, seu assensu primi ejus Substituti plures tales Personas nominare, seu præsentare ad istud ministerium exequendum. *Nicol. III. §. Si verò.* Sic in casu: quando v. g. P. Gvardianus Varlavienfis per Epikiam, aut licentiam Benefactoris, certam elemosynæ pecuniariæ partem, v. g. pro celebrandis Missis, vellet P. Gvardiano Romano relinquere charitativè: in hoc casu rogandus est P. Spirituales Varlavienfis, tanquam primus Substitutus Dantis, ut Substituatur v. g. Campforem aliquem. Quod si ipsemet hoc facere nollet, aut non posset; poterunt Fratres cum ejus assensu adire Campforem, & illum rogare, quatenus tanquam secundus Substitutus Dantis illam pe-



cuniarum quantitatem transferat Romam, & ibi consignet tertio Substituto, v. g. Patri Spirituali Romano P.P. Capucinarum, vel alicui amico fideli, qui eleemosynam nomine primi Benefactoris, apud quem dominium illius semper permanet, expendat. Quod si Dans pecuniam moreretur, antequam Substitutus eam expenderet; possunt Fratres ad illam recurrere, etiam contradicente hærede, ut expressè declarat *Nicol. III. §. In eo verò casu*. Jam ex parte Fratrum recurrentium.

99. *Septima conditio*: Ut Fratres non tantum in animo nullum foveant affectum ad pecunias depositas; sed etiam caveant, nè agendo cum Substituto dantium, utantur verbis, quæ aliquam proprietatem, aut dominium significant, prout *Nicol. III.* eos adhortatur; sed simpliciter licebit Substituto rogare, illuminare, ut charitativè succurrat: abstinendo semper à verbis imperativis, ut v. g. *emat*, ut tantum expendat &c. Nec licet à Substituto exigere ratiocinium, quamvis negligenter, & infideliter se in officio suo gereret, ut patet ex *Nicol. III. §. Cæterum*. Potest tamen superior interrogare eundem, quantum eleemosynæ adhuc sit? ut sic sciat necessitatibus Fratrum providere. Licitum etiam erit talem infidelem Administratorem ad Benefactorem deferre, (& in ejus defectu ad Ordinarium loci juxta S. Bonav. loquentem de Legatis) simpliciter indicando, quod ejus voluntas, & dispositio non impleatur, nec observetur. Quin & licebit talem infidelem Substitutum pro futuris necessitatibus mutare, & Benefactoribus alium Substitutum denominare. Ità decisum est à Cle-

mente

mente *XII. in Cap Gen. 47. Anno 1733. teste P. Florido q. 3. §. 3.*

100. *Octava conditio*: Non licet Superioribus civiles dare quitantias, quatenus in foro legitime probent, aut denotent aliquod dominium, & proprietatem; sed solum in fide boni viri simpliciter testari, quod v. g. Pater Spiritualis talem, vel tantam eleemosynam accepit, quod aliquis mercenarius laborando tot dies intumpserit, &c. abstinendo à terminis juridicis. Ex his omnibus

101. *Infer. 1.* Quod non liceat Fratribus Substitutum persuadere, ut eleemosynam pro certa necessitate depositam ad aliam tollendam applicet; quia Substitutus non est Dominus eleemosynæ, sed Dans; cujus voluntatem debet exequi fideliter. In casu tamen licebit Substituto Epikeia uti, si Dominus aut adiri non potest petenda licentia, aut eum adire non expedit, dummodò de contraria voluntate non constet; quia Benefactores communiter ita sunt constituti, ut nobis suis eleemosynis omni meliori modo, & nobis commodiore succurrere velint. A fortiori, per eandem Epikeiam Patri Spirituali licitum erit id, quod de determinata pecunia, sublata necessitate, superest, in alias Fratrum necessitates expendere, si Benefactor pro licentia adiri non potest, vel non expedit. *P. Flor: supra §. 3.*

102. *Infer. 2.* Si Benefactor pro aliquo determinato Fratre deponat eleemosynam, ad sublevandam, ejus necessitatem veram saltem accomodam, v. g. pro tunica, & Superior ad hoc dederit licentiam; non potest ullus Prelatus eam totam, aut ejus partem assumere pro necessitatibus commu-



nitatis, aut alterius Fratris, absque peccato proprietatis; quia juxta voluntatem Dantis debet expendi. Imò, nec ipso Fratre moriente licite illam Prælati poterit curare expendi, sed Danti debet restitui. *Alvarus in Serena confc. q. 82.* Expletis tamen prius illius Fratris necessitatibus, si quid residuum supererit; bene in alias communitatis necessitates, ubi de opposita Dantis voluntate non constat, potest expendi; quia primariæ Dantis intentioni jam est satisfactum: & de residuo sic convertendo probabiliter præsumitur. à *Pol. hic n. 40.*

103. Inscr. 3. Quòd non possit P. Guardianus unius loci pecunias indifferenter oblatas, vel pro Missis datas ad alium Guardianum transmittere sine licentia P. Provincialis. Hæc tamen sufficit hic, si sit probabiliter præsumpta; quæ est, quando id practicatur, & à Superioribus scitur; & tamen non improbat, nec prohibetur. *A Pol. supra.*

104. Inscr. 4. Si Apostata, ad Ordinem rediens, res quasdam secum affert, quæ Fratrum usus accommodæ sunt, v.g. Libros &c. possunt Fratres eas ad communem applicare usum. De aliis autem rebus, v.g. de pecuniis, vestibus secularibus &c. Fratres nihil disponere possunt; sed Patri Spirituali extradenda erunt, ut ea vel Dominis suis, si sine gravi incommodo id fieri potest, restituant, vel pauperibus elargiantur. *P. Flor. §. 3.*

105. Inscr. 5. Quòd necessarium videatur: ut Substituti, seu Patres Spirituales in Officio suo instruantur, quomodo se gerere debeant in administratione elemosynæ à Benefactoribus ipsis concessitæ: ut nobis tutâ conscientia ipsorum ope-

ri uti liceat. Quare P. P. Superiores Substitutum præsertim officium suum aggredientem, intelligere iaciant; quòd nullatenus sit Dominus elemosynæ; sed solum fidelis administrator ejus, secundum voluntatem non Fratrum, sed ipsorum Benefactorum, in quorum nomine & auctoritate cuncta facit, quæ bene facit. Cui etiam omnino svadendum est, ut habeat duas cistulas: in quarum una reponat pecunias determinatas, notando determinatam necessitatem; in altera asservet elemosynas indeterminatas: quò factò, poterit quidem defectum elemosynæ determinate supplere per elemosynas indeterminatas, non tamen è contra. *P. Flor. supra.*

106. Qr. 9. Utrum liceat Fratribus facere recursum ad pecunias pro Pitantia? *Resp.* Cùm Pitantia non sit de rebus absolute, & universaliter necessariis; nam sine ea Fratres sani, & robusti possunt bene subsistere, utendo vilioribus: ideò etiam pro illa nullò modò licet Fratribus facere recursum ad pecunias formalem, prout sæpè decisum fuit in nostris Capit. Generalibus. Quia verò ex declaratione Clementis V. non tenemur ad usum rerum arctum, & strictum, nisi in rebus determinatis à Regula: sitque nobis rerum usus moderatus concessus, ut ex supra dictis patet; hinc asserendum est: quòd sit nobis licitus recursum materialis ad pecuniam pro pitantia. Et ita decisum est in *Cap. Gen. 1775* & à *Clemente XII. 1735.* quæ decisiones videantur supra n. 80. & 84. Sciant tamen Subditi Fratres, quòd nullum jus habeant petendi pitantiam, ut docet *Cajet. à Bergamo.*

107. Qr. 10. An licite, & quò titulo accepta-



mus eleemosynam pro Missis? *Resp:* Acceptamus eam, non per modum stipendii rigorosi, ex titulo justitiæ debiti; quia hoc Constitutiones nostræ Gen. vetant, *Cap. 3.* sed acceptamus per modum eleemosynæ gratuitæ. *P. Florid. §. 2, n. 15.* Quod autem licitè: *Probat.* Licet nobis acceptare eleemosynas pecuniarias indeterminatè gratis oblatas pro necessitatibus nostris veris, etiam accomodis, ut supra *n. 81.* probatum est: ergo etiam licet nobis acceptare eleemosynam datam pro Missis, postea convertendam in necessitates veras. *Conseq.* patet; quia utrobique est par ratio. *Hinc*

108. *Inter:* Quod licitum erit ad tales eleemosynas sive determinatè, sive indeterminatè depositas non tantùm recurrere; sed etiam Benefactorem de Missis persolutis admonere; non tamen, ut debitum cum scandalo, extorquere. *P. Flor. lo. supra cit.* Simile quid resolvit *Cap. Gen. 1698.* cum ita decidit: *Dum acceptamus onera Missarum, ita acceptamus, ut ad illa teneamur: ad emolumentum tamen temporale non respicimus.*

109. *Qr. 11.* An in Conventibus possit eleemosynæ pecuniariæ pro Missis ad Januam, vel Sacrificiam deponi, & ultra diem sub clave, & custodia Janitoris, vel Sacrificiæ asservari? *Resp: Cap. Gen. 1761.* *Negative pro semper, & pro quocumque etiam brevissimo tempore, & pro quocumque loco.* Videtur tamen non esse illicitum, cogente ad id necessitate, ut deponatur pecunia, oblata à Benefactoribus, ad Januam in aliquo cippo, modò non aliquis Frater; sed Substitutus Dantium habeat ab illo apud se clavim.

110. *Qr. 12.* An in partibus, in quibus vinum non creseit, possit licitè pro pecunia comparari vinum, & Fratribus dispensari ex solo titulo charitatis? *Resp: Cap. Gen. 1761.* *negative: nisi charitatis titulo superaddatur motivum veræ necessitatis.* Vera autem necessitas videtur esse, refocillatio virium in Fratribus infirmis, debilibus, & laborantibus; quales sunt: Concionatores, Lectores, Fratres decrepiti, modò caveatur à superfluitate.

111. *Qr. 13.* An licitum sit commercium Missarum pro habendis imaginibus, liquoribus, thæ, cassæ &c. quæ emuntur ab Amicis spiritualibus, & in solutionem pro hujusmodi rebus Missæ celebrantur? *Resp: Cap. Gen. 1747.* *non licere; nisi urgeat vera necessitas, & adsit licentia R. P. Provincialis.* Simile quid quæsitum, & resolutum fuit in alio Capitulo his terminis: Aliquis volens habere devotionalia, tabacum, & similia: legit Missas ad intentionem Superioris, & Superior ista huic procurat per stipendia Missarum, quæritur: an sit verus recursus ad pecuniam ex parte legentis? *Resp. Cap. Gen. 1740.* *stante necessitate licitè recurrit.*

112. *Qr. 14.* An expediat obligare Superiores Locales ad reddendam rationem, quam possunt, de usu eleemosynarum à Benefactoribus oblatarum, semel in mense coram duobus Discretis à tota Familia electis, & coram Superioribus majoribus in visitatione, ac in Capitulo? *Resp: Cap. Gen. 1761.* *Affirmative, quoad Provincias, in quibus usus est introductus: & quoad alias etiam, in quibus de facili potest introduci: in aliis autem nequaquam. Sunt tamen ob-*



ligandi omnes per universam Congregationem nostram ad reddendam rationem Superioribus Provincialibus in Singulis visitationibus, & in fine triennii Capitulo Provinciali, & hoc ad probandam fidelitatem.

## CAPUT V.

## De modo laborandi.

113. **N**ota, in hoc quinto Capite nullum contineri præceptum novum: nam præceptum non recipiendi denarios, vel pecuniam pro mercede laboris, jam continetur in 4. Reg. capite. Hinc omnia in hoc capite contenta sunt Consilia, & admonitiones ad bonum faciendum, & malum fugiendum. Commendat autem hic specialiter S. Pater Fratribus laborem, ad excludendum otium utpote inimicum animæ. Per gratiam autem laborandi intelligit S. Bonav. vires corporis, vel habitum artis acquisitum, aut habilitatem artem acquirendi. Cùm verò alii habeant gratiam laborandi spiritualiter, alii corporaliter: omnibus dans regulam generalem, vult S. Pater, ut quisque gratiâ sibi datâ utatur. Quia verò in hoc capite præcipuè agitur de labore corporali, seu manuali. Hinc

114. Qr. I. Utrum sit speciale præceptum Regulæ laborandi manualiter? *Resp. Negative;*

ratio eo; quia hujus præcepti non facit mentionem Nicol. III. nec Clemens V. in suis Declarationibus. Deinde: quia si hoc esset præceptum, omnes obligaret; sed Nicol. III. art. 8. eximit à labore manuali vacantes litteris, ac prædicationibus: item contemplativos, & orationi addictos: necnon Divinis officiis, & ministeriis impeditos: ergo non est præceptum speciale Regulæ laborandi corporaliter; sed est solum præceptum Divinum naturale, inquantum otiositatem excludit: unde non plus obligat Fratrem Minorem, quam alium Christianum. Quia enim otium est pulvinar diaboli: & multam malitiam docuit otiositas; hinc jure naturali, & Divino quilibet tenetur vitare otium. Unde Fratres, qui otiose vivunt, juxtâ rationem otii, & desidii peccant, & frequenter in peccata gravissima dilabuntur. Quapropter appono hic decisionem Capituli Genesentem: *Fratribus, qui nolunt adesse Choro, convenit: ut ordinariè in mensa subtrahatur cibus, quando absunt sine causa. Cap. Gen. 1726.*

115. Infer: Quòd Fratres, ut benè, & merito-riè laborent, debent laborare fideliter, & devotè. Fideliter quidem quòd proximum, ut ei fidem servant, in ejus gratiam laborant: & devotè quòd ad Deum, per bonam intentionem ex amore Ejus procedentem: & in executione laboris servant discretionem, & modestiam, atque silentium, nè in seipsis spiritum orationis, & devotionis extinguant, cui omnia temporalia debent deservire. Magnam enim vitium est; propter labores corporales, aut etiam mentales negligere opus Dei; novit enim fidelis, & prudens



servus nunc Mariæ, nunc Marthæ officio Domino ministrare. Unde nullus vel studio, vel alicui exercitio sic se debet dare: ut tamen horis competentibus orationi tam vocali, quam mentali non inflet, juxta exemplum Christi de die prædicantis, & de nocte orantis. *Kazemberg*  
c. 5. q. 1.

116. Qr. 2. Quænam corporis necessaria Fratres Minores pro mercede laboris recipere possunt? Resp: FF. Minores pro mercede laboris possunt recipere victum, vestitum, necessitates infirmorum, & provisionem eorum, quæ ad status sui officia peragenda necessaria sunt. Patet id ex terminis necessitatis corporalis. Non tamen possunt pro mercede laboris recipere denarios, vel pecuniam; nam etiam hic Regula addit: *præter denarios, & pecuniam*. Ex his.

117. Inter: Quòd Fratres non possint pacifice pactione civili de mercede sui laboris, sive corporalis, sive spiritualis, prout manifestè indicat S. Pater sequentibus verbis: *& hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & paupertatis Sanctissimæ sectatores*, quasi diceret: non jure aliquo politico, velut ex debito mercedem recipiant; sed humiliter per modum eleemosynæ petant. Ratio est; quia Fratres sunt incapaces omnis juris politici ad quamcunque rem: ergo & ad mercedem. Hinc, si nobis pecunia pro mercede nostri laboris spiritualis, vel corporalis oblata fuerit: sive sit propter laborem manualement, ut scripturam, picturam &c. sive propter Missas, orationes, aut prædicationes: non aliò modò acceptari, & deponi potest, nisi ut eleemosyna liberaliter oblata, aut legata. *A Polit c. 5. n. 21*

CAPUT VI.

CAPUT VI.

*Quòd Fratres nihil sibi approprient: & de eleemosyna petenda, & de Fratribus infirmis.*

118. **N**Ota, quòd in hoc sexto capite contineantur duo præcepta sub peccato mortali obligantia. 1. expressum, quòd Fratres nihil sibi approprient: *alterum æquipollens*, quòd debeant servire Fratribus infirmis, sicut vellent sibi serviri. Deinde continentur tres Admonitiones ad bonum faciendum: 1. ut Fratres pro eleemosyna vadant confidenter, & non verecundentur. 2. quòd Fratres paupertati totaliter inhærentes, nihil aliud in perpetuum sub cælo habere velint. 3. quòd ubicunque se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, & securè manifestet unus alteri necessitatem suam.

119. *Nota 2. Paupertatem* FF. Minorum sic defini: quòd sit realis abdicatio omnis juris politici cujuscunque rei temporalis, tam in particulari, quam in communi propter Deum. Dicitur: *Realis abdicatio*; ad excludendam solius spiritus paupertatem, quæ Fratri Minori prohibet solum affectum, & desiderium ad possidendum res temporales; realis verò abdicatio etiam jus omne tollit ad rem, & in re. Dicitur: *Omnis juris politici*, ad excludendum jus natu-

K



re poli, quò quilibet homo potest, & tenetur uti rebus necessariis ad conservationem suæ vitæ: & huic juri naturæ Frater Minor non potest renunciare; quia est jus Divinum naturale obligans omnem hominem. Dicitur: *cujuscunque rei temporalis*, per exclusionem rei spiritualis; quia Frater Minor est capax juris rei spiritualis, & bonorum spiritualium, ut meritorum, Indulgentiarum &c. item, habet jus in suam vitam, & membra: in suum honorem & famam &c. Dicitur: *tàm quòad rem ipsam, quàm quòad ejus usum*; quia juxtà declarationem Nicol. III. art. 2. §. *Profectò*, neque ad rem ipsam, neque ad ejus usum jus ullum habemus; sed tantùm ibi conceditur nobis *simplex usus facti*. Est autem simplex usus facti actualis usurpatio, seu usus rei alienæ, de licentia Domini, qui potest eam ad libitum revocare. Et sic usus simplex facti differt ab omni proprietate, & usu rerum politico. *Proprietas* autem nihil aliud est, quàm jus, seu potestas libera, quâ quis de re sua potest disponere ad libitum: ut vendendo, donando &c. *Possessio* verò est detentio rei, corporis, animi, & juris adminiculò. *Usus fructus* est jus utendi, & fructuendi re alienâ, salvâ rei substantiâ. *Usus juris* est jus utendi re alienâ, salvâ ejus substantiâ. Dicitur tandem: *tàm in particulari, quàm in communi*; ut excludatur hinc paupertas aliorum Religiosorum; quæ in communi jus, & dominium rerum tàm in se, quàm earum usu sibi acquirere potest, & habet: prout eis concessum est à Conc. Trid. *Sess. 25. c. 5.* exceptis Capucinis, & Observantibus. Dicitur: *propter De-*

um, ut excludatur paupertas involuntaria hominum hujus sæculi, qui vi, vel ex casu, aut negligentia propria nihil habent.

120. Nota 3. Hanc Paupertatem FF. Minorum, modò explicatam, practicatum esse à Christo, & Apostolis, ut Nicol. III. art. 2. decernit: *Dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, tàm in speciali, quàm in communi propter Deum, meritoria est, & Sancta: quàm Christus, viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit.* - - - *Nec quisquam ex his insurgat erroneè, quòd taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes, tanquàm homicidæ sui, vel tentatores Dei, vivendi discrimini se committant: sic enim seipso committunt Divinæ Providentiæ in vivendo: ut viam non contemnant provisionis humanæ, quin vel de his, quæ offeruntur liberaliter: vel de his, quæ mendicantur humiliter: vel de his, quæ conquiruntur per laboritium, sustententur. Qui triplex vivendi modus providetur in Regula expressè. Quam Declarationem Nicolai III. sicut & Clementis V. (post Joannem XXII. qui docebat, ut privatus Doctor, usum facti separatim à Dominio repugnare juri) confirmavit Martinus V. Paulus IV. Eugenius IV. Nicolaus V. Gregor. XIII. & Alexand. VI. derogaruntque Constitutioni Extravag: Joannis XXII. *Ad conditorem Canonum.* His præmissis.*

121. Qr. 1. Utrum FF. Minores possint sibi appropriare aliquam rem, aut saltem ejus usum? *Resp.* FF. Minores nec in particulari pos-



sunt habere ullum jus, dominium, proprietatem, possessionem, usufructum, aut usum juris rei alicuius temporalis; sed tantum simplicem facti usum, dependentem semper à libera voluntate Domini concedentis ipsis usum rei, ad nutum revocabilem. Hinc nullus F. Minor, de ulla re temporalis cum veritate, & propriè potest dicere: Hæc res est mea in particulari, vel in communi; cum nec in ulla re, nec ad ullam rem temporalem ullum jus habeat. *Ità Nicol. III. art. 2. & Clem. V. §. Porrò.* Quæ autem disputationis gratiâ contra hæc possent objici, videntur in Thèologis.

122. Qr. 2. An idem sit, peccare contra votum paupertatis, & esse proprietarium? *Resp.* non esse idem; quia ad violandum votum paupertatis sufficit rem recipere sine licentia Superioris in ea quantitate, quæ constituat mortale: aut etiam cum licentia Superioris; sed talem rem, cujus usus non est licitus F. Minori: non enim hic licentia Superioris sufficit ad eximendum Fratrem ab obligatione voti. Ad constituendum verò Proprietarium non modò requiritur, quòd res sit talis, quæ mortale constituat peccatum; sed etiam, quòd retineatur contra voluntatem Superioris, aut occultetur, nè eam Superior auferat. Deinde: quia pro effugiendis pœnis contra proprietarios statutis sufficit quælibet licentia; ad non violandam verò paupertatem, debet esse licentia iusta. *Ità Moronus*

123. Qr. 3. Quænam Pœnæ Canonico jure decretæ sunt Religioso Proprietario? *Resp.* una est, quòd Religiosus, deprehensus proprietarius, debet privari voce activâ, & passivâ per biennium,

& aliter; juxtâ Ordinis Constitutiones, puniri debet. *Ità Trièd. Sef. 25. c. 2 de Reg: 2da est,* quòd Religiosus, tempore mortis habens proprium, non potest sepeliri in loco sacro; sed in sterquilinio cum rebus, aut saltem parte ipsarum per eum possessarum. Qui, si casu quòd, in loco sacro sepultus est, extrahendus est, si id sine scandalo fieri potest. Debet autem esse certitudo moralis, & non solum dubium, quòd Religiosus mortuus sit proprietarius: quæ certitudo ex ejus antea vita desumi potest. *Ità Barbosa, Lezana, Layman.* Quæ pœnæ incurrunt tantum ab habentibus proprium; non verò ab iis, qui sine superioris licentia aliquid alienant, donant, vel absumunt: essi etiam isti contra paupertatis votum delinquant.

124. Qr. 4. Ad quem spectat dominium rerum, quibus FF. Minores utuntur? *Resp.* Si Dantes, seu offerentes aliquas res Fratribus sive mobiles, sive immobiles (quarum usus est licitus Fratribus) reservarunt sibi expressè dominium, & proprietatem illarum rerum; tunc apud ipsos Dantes semper manet dominium, & proprietas talium rerum. Exceptis semper Ecclesiâ, Oratoriò ad Ecclesiam destinato, & Cæmeteriò; horum enim dominium semper est penes Papam, & Ecclesiam Romanam, quòcunque modò concedantur. Si verò Dantes Fratribus aliquas res, sive mobiles, sive immobiles, (quarum usus licitus est Fratribus) absolute eas dererunt, seu cum intentione sese expropriandi, prout ordinariè faciunt; in tali casu dominium illarum rerum transfertur ad Papam, & Ecclesiam Romanam, prout etiam ipse Conventus Fra-



trum, supposito, quòd constructus sit ex elemosynis à diversis Personis subministratis. Ità Nicol. III. art. 3. §. ad hæc. & Clem. V. §. Proinde. Talis autem dispositionis ratio hæc assignatur à Nicol. III. lo. cit. quia nempe Dantes rem aliquam Fratribus propter Deum, ordinariè intendunt eam perfectè dare, seu donare, & consequenter in alios transferre dominium: cum autem non sit Persona, in quam Dei locò congruentius rerum dominium transferatur, quam Sedes præfata, seu persona Romani Pontificis, Christi Vicarii, qui Pater est omnium, & Fratrum Minorum specialis: hinc nè tales res sub incerto essent dominio, prædictus Nicolaus III. in se, & Romanam Ecclesiam, Apostolicâ auctoritate, tale recepit dominium, quod & alii Pontifices fecere. Quia verò dictus Pontifex transferens in se dominium rerum, expressè loquitur de rebus, quarum (intellige in propria specie) usum facti licet Fratribus habere: & ibidem §. *Insuper* neget licitum esse Fratribus habere res superfluas: hinc aliqui cum *Speculatore*, & *Sanchez* inferunt: quòd Papa non trahat ad se dominium rerum superfluarum, consequenter dominium rerum superfluarum maneat penes Fratres. Verùm non est recta Speculatoris illatio: quia est Pontifex dictò §. *Insuper*. prohibeat Fratribus rerum etiam licitarum superfluitatem, divitias, thesaurizationem &c. adhuc tamen dominium rerum superfluarum penes se retinet: consequenter illud non manet penes Fratres. Ratio est, quia talium rerum superfluarum usus adhuc est licitus Fratribus ratione *materiae*, seu quatenus in propria specie sunt licitæ

Fratribus: quamvis fiat illis illicitus ratione circumstantiæ, nempe quantitatis, vel qualitatis, hoc est superfluitatis, pretiositatis &c. quod est quid accidentale. Unde quamvis Fratres peccent contra paupertatem, habendo superflua, pretiosa &c. non tamen fiunt Domini superfluatorum; cum finè voluntate ipsorum Fratrum translatione hujusmodi domini in eos fieri non possit. *Corduba hic q. 2. à Pol. c. 6. n. 17.*

125. Infer. Quod Papa trahat ad se dominium omnium omninò rerum, sive mobilium, sive immobilium, quarum usus in propria specie licitus est Fratribus; quarum verò usus in propria specie non est licitus Fratribus, ut usus denariorum, armorum, equorum, vestimentorum sæcularium &c. talium etiam dominium Papa ad se non trahit. Ità omnes Expositores. Ratione horum.

126. Qr. 5. Si Dans pecuniam pro necessitatibus Fratrum abdicet à se illius dominium, sub cuius dominio erit talis pecunia? *Resp.* Si dans pecuniam pro necessitatibus Fratrum, dominio ejus se se abdicat ex ignorantia, aut simplicitate; adhuc dominium non transfertur in Fratres, (utpote quod, nemini contradicenti obtrudi potest, ut docet S. Bonav. in Epist. ad Magistrum innominatum) sed manebit penes Dantem pecuniam, etiam stante errore sui intellectus: semper enim censi debet Benefactorem non velle abdicare à se dominium, nisi sub hac conditione implicita: si Fratres illius capaces fuerint. Positò verò, quòd Benefactor talis, vel potius malefactor ex malitia dominium pecuniæ à se abdicet, quamvis sciat nos, illius inca-



paces esse, & contradicentes; adhuc talis pecunia non erit nostra; sed, quantum ad dominium attinet, inter bona derelicta reputanda. Et quoniam Substitutus novit, cui applicanda est? ad nostram utilitatem eam applicare poterit. *P. Florid. q. 5. §. 2.*

127. Qr. 6. An FF. Minores possint licite, & valide habere Privilegia spiritualia, vel quasi spiritualia, quæ bona temporalia non contingunt? *Resp. Affirmative.* Ratio est; quia virtus paupertatis abnegat tantum possessionem bonorum temporalium, ut ex Evangelio patet: nam etiam Christus similia privilegia largitus est Apostolis; qui eos & predicare, & baptizare, & infirmitates curare, & à peccatis absolvere in universum misit orbem. Ex quo sequitur: quod FF. Minores possint habere sequentia spiritualia privilegia: ut Jurisdictionem ad predicandum, ad confessiones audiendas, Sacramenta administranda, Indulgentias lucrandas, & exemptionem ab Ordinariorum potestate. Item in Ecclesiis eorum, diebus Dominicis & Festis, sæculares possunt audire Missam: ipsorum Ecclesiæ & Conventus gaudere jure Asyli. Verbo: possunt uti omnibus Privilegiis spiritualibus, in quibus communicant cum aliis Ordinibus, modo non sint contraria professioni eorum, prout concessit Clemens VIII. Bulla: *Dum fructus uberes.*

128. Qr. 7. Quarum rerum usum simplicem facti possunt habere FF. Minores? Ante responsum *Nota*, quod FF. Minoribus expressè per Regulam prohibitus sit usus quinque rerum: 1. Absolutè prohibitus est usus denariorum, & pecuniæ. 2. Usus calceamentorum extra neces-

sitatem.

sitatem. 3. Usus vestimentorum pretiosorum. 4. Usus equorum, extrà manifestam necessitatem. 5. Usus Procuratorum ad pecunias; cum ex capite Regulæ Fratres non possint recipere pecunias per se, vel per interpositam personam, hoc est per Procuratorem, qui nomine eorum hoc faceret. Ex Declarationibus verò Sum. Pontificum obligantur Fratres sub peccato mortali observare alia quinque, quæ usum, & paupertatem eorum concernunt. 1. Ut non habeant, nec utantur redditibus annuis. 2. Ut non assistant in Curiis, & Processibus. 3. Ut non habeant Ecclesias valde magnas, & excessivas: nec habeant vasa, aut Paramenta Ecclesiastica pretiosa, curiosa, vel superflua. 4. Ut non acceptent, nec habeant hortos superfluos; Granaria, aut Cellaria sine evidenti necessitate. Item: ut non habeant agros, vineas, prata, domos &c. extrà Conventus suos: nec ædificent, aut acceptent ædificia sumptuosa. 5. Ut non acceptent hereditates, aut fiant testamentorum executores. Ità Clemens V. §. *Proinde, & seq.* Quæ quinque, non ex præcepto Pontificis, sed ex circumstantiis adjacentibus Regulæ, prohibentur; quia vel essentia status FF. Minorum contradicunt: vel excedunt modos in Regula expressos. Sic redditus annui, granaria, & cellaria providentiam certam in futurum habent, contra statum Fratrum, & caput sextum Regulæ. Sic assistentia in Curiis, & Processibus jus quoddam, & repetitionem juridicam dicit, contra paupertatem: sic Ecclesiæ excessivæ, vasa, & paramenta pretiosa, ædificia sumptuosa &c. altissimæ paupertati contrariantur. Denique acceptatio heredita-

L



tatis, & testamentorum executio dicunt jus politicum, & pecuniæ dispositionem ordinariè habent, quæ sunt contra Regulam. *Jam ad quæst:*  
 129. *Respondeo* 1. Fratres Miores possunt habere moderatum usum simplicem facti omnium rerum necessariorum, de libera Domini usum concedentis voluntate, & de suorum Superiorum rationabili, & voluntario consensu, exceptis illis decem rebus mox in notato expressis. Ita Nicol. III. art. 2. §. *Profectò*: & Clem. V. §. *Proinde*. Ne autem excessus fiat in usu moderato, præ oculis habenda sunt sequentia: 1. doctrina S. Patris in opusc. Col. 10. dicentis: *Necessitas Fratres charissimi, quam non ratio postulat, sed voluptas ostendat, extincti spiritus signum est manifestum.* 2. Doctrina S. Bonav. qui in 6. Reg. Cap. 11. ait: *Cum Fratres sint professores altissimæ paupertatis, oportet, quod omnia, quæ in eorum usum veniunt, habeant, ut est possibile, parvitatem, vilitatem, & asperitatem.* 3. Dictum ejusdem S. Doctoris ad Provinciale: *Fædum, profanumque mendacium est: summe paupertatis voluntarium professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle.* Insuper: ut usus rerum, sive moderatus, sive arctus FF. Minoribus sit licitus; non solum debet excludere superfluitatem, & includere necessitatem veram; sed & supponere obtentam à Superiore licentiam, ut ait Nicol. III. §. *Insuper*. Quæ licentia ut suffragetur in conscientia subditis, attendi debet 1. Ut licentia illa non obtineatur dolo, vel fraude: nam ex Cap. *cum dilectus*,

Can. 7. de Relig. dom. *Fraus & dolus nemini debet patrocinari.* 2. Ut volens obtinere licentiam, exponat Superiori veritatem: nam glossa in Cap. super litteris, 20. de Rescript: dicit: *Ut licentia teneat, nihil debet addi ex his, quæ movere possunt animum Prælati ad concedendum, vel denegandum: & ideo adducentis necessitatem fidam, & obtinentis licentiam, nulla esset talis licentia.* 3. Ut licentia illa obtineatur liberè; nam ex Cap. *Notificari*. cau. 33 q. 5. *Cõacta licentia, & voluntas nulla est.* Hinc licentia obtenta importunè, vel ad evitandas susurrationses, & murmurationes, nulla est. Quapropter, ut F. Minor licitè, ac meritoriè, re aliquà sibi necessariã utatur; debet pro eadem petere licentiam cum omnimoda indifferencia, ac resignatione, ut monet S. Joan. à Capistr. in Cap. 6. Reg.  
 130. *Resp:* 2 FF. Miores usum arctum in illis tantum rebus servare omninò tenentur, qui in ipsorum Regula continentur, & eò obligationis modò, sub quo continet, seu ponit Regula dictos usus. Ita in terminis Clem. V. §. *Ex præmissis*. Ex his omnibus.  
 131. *Infer:* Quòd totus Ordo FF. Minorum certò indeterminatè, & irrevocabiler non possit alicui Fratri concedere usum rei, multò minùs recursum ad pecuniam; quia talis modus dicit proprietatem, & jus utendi, quod repugnat statuti FF. Minorum. Imò nullus superior in Ordine Minorum potest indeterminatè & indistinctè permittere alicui Fratri usum Librorum, utensilium &c. aut recursum ad elemosynas pecuniarías, etiam si id revocabiler faceret. *Marchant. ci-*



*tatus à Kazenb. hic q. 2.* Ratio est; quia exponeret subditum manifesto periculo peccandi mortaliter, essetque occasio proxima multarum transgressionum. Possunt tamen Superiores alicui Fratri determinatè, & revocabiliter concedere usum librorum, utensilium aliorum, imò & permittere recursum ad pecuniam pro certa, & determinata necessitate ipsius Fratris, servatis tamen moderaminibus Regulæ, & Declarationum Papalium; quia hoc in Regula non prohibetur expressè, ut dicit *Kazenberg cit. lo.* Verùm non expedit bono Religionis Superiorum talia concedere; quia in Religione FF. Minorum debet esse communitas omnium rerum; quæ est quasi quoddam vinculum totius Religionis, & fundamentum paupertatis, regularisque observantiæ. Unde etiam S. Pater noluit Fratres suos alicujus rei usum peculiarem habere, ut testatur *Ubertinus*, præter vestimenta, & Breviarium. Quia verò *Nicol. III. §. Insuper. & §. Si vero.* trahens ad se dominium, & proprietatem rerum Fratribus concessarum, concedit eis usum rerum dependenter tantùm à licentia suorum respectivè Superiorum; quæ non habitâ, Fratres efficiuntur proprietarii. Hinc.

13. Q. 8. Quot modis FF. Minores possunt esse Proprietarii? *Resp:* 1. *Proprietarii sunt:* Accipientes, dantes, utentes, aut retinentes aliquam rem contra voluntatem sui Superioris explicitè, vel implicitè manifestatam. *Ita S. Antonin. p. 3. tit. 16. c. 1. §. 11. 2. Proprietarii sunt:* Accipientes, dantes, commutantes, vel retinentes aliquam rem sinè licentia Superioris: ut dicitur. *Can. non dicatis. 11. cau. 12. q. 1. certum*

*est eos nihil habere, possidere, dare, vel recipere debere sinè licentia Superioris.* An autem ad id requiratur licentia Superioris expressa? quæ solet dari ore tenus, aut in scriptis: an verò sufficiat tacita? quæ est tunc, dum Superior videt, aut scit id haberi, vel fieri à subdito, & tacet: aut interpretativa? seu præsumpta? quæ censetur adesse, dum Superior non scit aliquid à subdito haberi, vel fieri, nec potest haberi ejus consensus expressus propter ejus absentiam; probabiliter tamen judicatur à subdito, quòd abique difficultate licentiam concederet, si esset præsens. Ad hoc *P. Rodriguez in lib: ascet. p. 2. tr. 3. c. 13.* ait: attendendam esse cujusvis Religionis consuetudinem: nam in aliquibus Religionibus consuetudo invaluit, quòd subditi possint licitè dare, recipere, &c. cum sola præsumpta Superioris licentia: quæ condescenduntia (ait ille) etsi eximat subditum à peccato; arguit tamen in Religione tali disciplinam regularem esse laxatam. Cùm autem nostra Capucinica Religio tateatur se conservare in primo suo vigore; omninò tenendum est, requiri expressam licentiam Superioris, præcipuè dum agitur de aliqua re notabili. Si tamen hæc expressa licentia quandoque haberi non potest: sufficit tacita, imò & præsumpta, ut docet *S. Bonav. in Spec. disc. p. 2. c. 2.* dummodò factum cum tacita, vel præsumpta licentia postea, datâ opportunitate, manifestetur Superiori. 3. *Proprietarii sunt:* qui corde, & affectu desiderant res cum appropriatione; si tamen desiderant deliberatè voluntariè. 4. *Proprietarii sunt lingua:* qui utuntur verbis in-



dicant bus auctoritatem, & dominium rerum. Unde nullus Frater potest dicere absque mendacio, & scandalo: *hoc est meum*; sed juxta Hugonem à S. Vict. debet dicere: *hoc est nostrum*, id est nobis ad usum à Benefactore concessum. 5. *Proprietarii sunt*: qui rem ad usum proprium concessam ita tenent: ut quamvis eam actum non utantur, nolunt tamen alteri usum ejus concedere ex vitio erga illam affectu. Unde *Alvarus in ser. confc. q. 8. dicit: Tenere librum, vel aliam rem, cum eam Frater non utitur, nec ei in brevi uti necesse est, nec Fratris petentibus cam vult prestare, proprietas est.* 6. *Proprietarii sunt*: qui occidunt Cellam clavi eò sine, nè alii ex ea accipiant libros &c: & multò magis, nè pateat Superior ingressus. Aut si rem aliquam sub clavi tenent ob dictos fines. Possunt tamen aliqui in Officio constituti, ut Lectores, Concionatores de licentia Superioris habere claufas Cellas, nè à sæcularibus aliqui libri furriantur: verumtamen tales, dum absunt à Conventu, clavim consignare debent Superiori, ut ait *Alvarus in ser. Confc. lo. cit. 7. Proprietarii. & fures sunt*; qui ex cella alterius, sine ejus licentia, accipiunt id, quod ad ipsius usum concessum est: nam S. Bonaven. in *Spec. disc. p. 1. c. 4.* ait: *Rem, alterius Fratris usui deputatam, præter ipsius Fratris conscientiam, occupare non licet: hoc genus est furti, & plerumqueurbationis occasio.* Quare severe puniendi sunt, qui de cella alterius aliquid accipiunt. 8. *Proprietarii sunt*, qui rem sibi ad usum concessam, aliis, sine licentia Superioris, distribuunt:

nisi forte sit res minima, & exilis, pro quo sufficit sola conniventia Superiorum. Loquendo tamen de re aliqua notabili alicui concessa: nemo potest eam sine licentia Prælati donare alter, live extra Ordinem, ut ait S. Joan. à Capistr. in *Cap. 6. Reg.* Ex quo sequitur: quòd nullus Religiosus possit, etiam titulo pietatis, dare quidquam de rebus communibus, sine Prælati licentia. Hinc 9. *Proprietarii sunt*, qui faciunt eleemosynam de rebus communibus Conventus sine expressa, vel probabiliter præsumpta licentia Superioris, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8. Sicut & illi sunt proprietarii, qui, sine licentia Superioris, accipiunt de mensa esculenta, & poculenta, eaque dant alicui sæculari. *Layman.* 10. *Proprietarii sunt*, qui prætendunt habitare, aut efficiunt apud Superiores, ut ponantur, aut confirmentur in aliquo Conventu; tales enim appropriant sibi usum illius Conventus, contra expressum præceptum Regulæ dicentis: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum.* 11. *Proprietarii sunt*, qui accipiunt rem à sæculari, ipso sibi reservante dominium ejusdem rei: nam in tali casu Superior non posset à Fratre illo talem rem accipere, ususque talis rei foret independens à Superiore: & consequenter acceptans taliter rem illam esset proprietarius. Ita S. Bonav. ad *Magistr. in com.* 12. *Proprietarii sunt*, qui prætendunt promotionem ad aliquod officium, vel Superioratum; quia, etsi Patres Provincie tenentur distribuere officia proportionaliter ad merita subditorum; horum tamen nullus habet jus, ut sibi conferantur. 13. Qui rem



aliquam ad usum sibi concessam, vel suæ eurræ commissam, sive studio, sive ex negligentia destruant, aut permittunt destrui; peccant contra paupertatem. 14. *Proprietarii sunt* Officiales Conventus, qui distribuunt res communitalis non secundum æqualitatem, & charitatem; sed secundum partialitatem affectionis: *nam totum præstare debent* (ut inquit S. Bonav. lo. supra cit) *non secundum propriam voluntatem, sed sicut constitutum est à Superiore.* 15. *Proprietarii sunt*, qui aliquid, quod eis fuit ad usum concessum, dispensant mortis causa, sive per modum testamenti, sive legati; nam ut dicunt Juristæ: *Usuarii, qui nudum habet usum, nequit usum in alium transferre;* sed de talibus, post mortem Fratris, relictis, habet liberum superior ad libitum disponere. 16. *Proprietarii sunt*, qui partus proprii intellectus, & labores manuum suarum, ut picturas, sculpturas, &c sine Superioris licentia dispensant. Et licet *Caramuel & Diana* doceant: quod Religiosus partus sui intellectus, ut Conciones, & alia scripta possit, cui placuerit, donare (quod & sustineri potest respectu aliorum Religiosorum, qui vi solius votitinentur ad paupertatem) non tamen hoc potest asseri de FF. Minoribus; qui, præter votum paupertatis, etiam speciali præcepto adstringuntur ad rigorosam paupertatem, ita ut nihil absolute sibi appropriare possint. Et ideo, in Cap. nostro Gen. 1702. decisum fuit: *non posse Concionatorem Conciones suas donare extra Religionem.* Ità etiam *Ser. Consc. q. 71.* Potest tamen ta-

lis Concionum donatio fieri intra ordinem; ad quam cohonestandam sufficit licentia Superioris interpretativa, præsertim pro casu: quò quis expressam quærere nollet, nè donatio redundet in confusionem donatarii, qui libenter haberet, ut aliis non innotescat se ab altero illas accepisse, quas postmodum ipse in publico est propositurus. In hoc ergo, & simili casu sufficit licentia præsumpta: quã quis nixus, non solum licitè, sed & meritorie potest partus sui intellectus alteri Fratri cedere. 17. *Proprietarii sunt*, qui rem aliquam temporalem prætendunt sive in, sive extra iudicium. Aut, cum agitur in Curia de rebus, in ipsorum commodum convertendis, assistunt Advocatis, vel Procuratoribus. Clem. V. §. *Proinde.* Hinc ulterius proprietarii sunt, qui de damno in horto, vel alibi nobis tacto, proprio nomine & auctoritate satisfactionem requirunt, & repetunt: aut eodem modo requiri, & repeti faciunt. *A Pol. hic n. 38.* Per hoc tamen non negatur, posse Fratres resistere, ac simpliciter repellere volentes ipsis damnum inferre; quia licet Fratres nullum jus habeant in res, quibus utuntur; non minus tamen certum est, quòd nec alii, damnum inferre volentes, ullum jus habeant. 18. *Proprietarii sunt*, qui res, quascunque ad usum sibi concessas, præcipiente Prælate sibi ostendi in visitationibus, vel extra, fraudulenter abscondunt, nè ab eo tollantur. 19. *Proprietarii sunt*, qui elemosynas pecuniarias, contra sui Superioris voluntatem, deponi faciunt, vel expendunt. 20. *Proprietarii sunt*, qui se alicui obligant ad aliquid faciendum, sine licentia Superioris. Vel votum aliquod emittunt, li-



cet præsumant de contraria sui Superioris voluntate; quia actus proprietatis sunt propriae voluntatis. Idem est, si quis firmaret propositum non obediendi Superiori. *A Pol. lo. supra cit. 21. Proprietarii sunt*, exercentes quemcunque Contractum civilem propria auctoritate. *Ser. Consc. q. 74.* Hac occasione

133. Qr. 9. An Fratres possint res aliquas vendere? *Resp.* FF. Minoribus non licet ullam rem vendere in rigore. Ratio est; quia vendere in rigore, est aliquam rem in alterius Dominium, & proprietatem transferre, acceptò pro illa pretiò pecuniariò; sed Fratres non sunt capaces juris, vel domini transferendi; cum nullum habeant, nec possint pecuniam recipere: ergo non possunt vendere in rigore. Licet tamen illis naturali iudicio rem aestimare, v. g. dicendo: *Res ista tantum constare videtur.* Item: licet Fratribus rogare, ut res aliqua per personas idoneas, v. g. per Syndicos Apostolicos vendantur. Idem declaravit *Clem. V. §. Licet verò, de oblatiis Fratribus equis, armis.* &c ut per personas idoneas vendantur, & pretium in res verè necessarias expendatur. Hinc *Nicol. III. art. 6.* declaravit, quod Libri, & mobilia Fratrum, quorum dominium ad Ecclesiam Romanam pertinet, per Syndicum Apostolicum vendi possint, & debeant: pecunia verò, seu pretium à Syndicis recipi, & in Fratrum necessitates expendi debeat. Idem declaravit *art. 5. de Legatis*, v. g. Domo, agro, vinea, quæ legantur testamento Fratribus, ut per personas idoneas vendantur. Semper tamen intelligendum est, similia Fratribus licere tantum in casibus, quibus licet ad pecunias recurrere, nimirum: in

vera præsentate, præterita, vel certò imminente necessitate; in qua possunt Fratres etiam quaelibet alia mendicare, procurare, & recipere, ut per personas idoneas vendantur, & pretium in res Fratribus necessarias expendatur; quia in tali necessitate potest fieri recursus etiam formali ad pecuniam: ergo multò magis ad res oblatas, quæ pecunia non sunt, *March. tit. 3. q. 4.*

134. Pro Resolutione aliorum similium casuum, appono hic ex Decretali Nicolai III. articulum 6. qui talis est: *Quia verò libros, & alia mobilia, quibus tam ordo, quam Fratres utuntur; quorum dominium (cum non sint domini aliorum) ad præfatam Ecclesiam spectare dignoscitur, interdum contingit, seu expedit vendi, vel etiam commutari: Fratrum utilitatibus, & eorum conscientis providere volentes, eadem auctoritate concedimus: ut commutatio rerum talium, & ad eas res, quarum usum Fratribus licet habere, de Generalium, & Provincialium Ministrorum, in suis administrationibus conjunctim, vel divisim, auctoritate procedat; quibus etiam de dispositione usus talium rerum concedimus ordinare. Si verò res hujusmodi aestimato pretio vendi contingat, cum Fratribus ipsis per se, vel per alium recipere pecuniam, Regulâ prohibente, non liceat; ordinamus, & volumus: quòd talis pecunia, seu pretium recipiatur, & expendatur in rem licitam, cujus usum Fratribus licet habere, per Procuratorem à præfata Sede deputandum, juxta modum in superioribus necessitatibus præteritis,*



& ingruentibus ordinatum. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus liceat, ex presenti nostra consuetudine, Fratribus pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa, obtentâ super hoc prius Superiorum suorum licentiâ, juxta quod inter Fratres in Generali, vel in Provincialibus Capitulis, tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus, & earum valore: quam præfata licentiâ, scilicet: à quibus, & qualiter sit habenda, extiterit ordinatum, intrâ, & extrâ ordinem aliis largiri. Ex qua declaratione

135 Infer: 1. Quod Procurator, seu Syndicus pro uno tantum hic casu concedatur, scilicet: in ordine ad vendendas, & commutandas cum æstimatione pretii res mobiles, quæ in usu Fratrum fuerunt. 2. Quod talis Syndicus deputari semper debeat à Sede Apostolica. Quod quia incommodum est, ut in omni casu recurratur ad præfatum Sedem: ideò standum est hic constitutioni Martini IV. *Exultantes*: ubi concedit Min: Generali, Provincialibus & Custodibus, ac aliis ab ipsis delegandis facultatem denominandi aliquam Personam in Syndicum Apostolicum, ob dictum casum. Quæ denominatio verbotenus sequenti, vel simili formâ fieri potest: *Nomino Dominationem vestram in Syndicum*. Quâ nominatione factâ Persona nominata ipsâfacto instituitur Syndicus Pape, & ab illo accipit facultatem exercendi dictum munus; quò expletò, statim cessat ejus officium.

136 Qr. 10. An Fratribus liceat emere? *Resp*: Non licet Fratribus in rigore emere. Ratio est;

quia emere in rigore, est contractû civili rem aliquam, mediante pecuniâ sibi comparare; atqui Fratres nec sunt capaces pecuniæ, nec proprietatis alicujus rei: ergo non licet eis emere in rigore. Latò autem modò licet Fratribus emere, prout emere dicit de pretio interrogare venditorem, imò & proponere ipsum pretium; cum hoc non habeat rationem contractûs, sed solum sit dispositio ad contractum, modò non fiat in terminis deponentibus in emptore dominium, & proprietatem. Convenire autem de pretio minimè possunt Fratres, quia per mutua conventionem perficitur contractus emptionis, & venditionis: & ideò, proposito à venditore pretiò, debet relinqui alteri, nempe volenti dare elemosynam, ut perficiat contractum. Si tamen aliquando judicaret Frater Minor, quòd proposito pretiò à venditore utpote justo sit acquiescendum; posset rem totam communicare volenti contri-buere elemosynam; per cujus assensum, & pretii solutionem licitè concluderetur contractus.

137. Qr. 11. An liceat Fratribus res commutare? Ante resp: *Nota*: quòd *commutatio* fit tunc, quando una res datur pro alia, sinè inter-ventu pecuniæ. Et est triplex: Civilis, Naturalis & Ministerialis. *Civilis* est, quâ una res pro alia, cum obligatione Civili utrimque præstatur. *Naturalis* est, quâ naturali gratitudine res utrimque communicantur invicem, ut v. g. si unus pauper mendicatum panem det alteri pauperi pro mendicata carne. *Ministerialis* est: quando aliqua Persona (quæ nullum jus habet in rem) nomine alterius dat unam rem pro alia. Hoc præmissò *Resp*: 1. Non licet Fratribus res commutare commutatione Civili; quia sunt in-



capaces juris. & conventionis civilis: quâ convenitur cum altero, quòd pro illa re tantum, & non minùs de alia re velit habere. *Resp. 2.* Licet Fratribus res commutare commutatione naturali; quia hæc nullum jus civile dicit ex parte Fratris; sed tantum simplicem usum facti: nam Frater Minor commutans non transfert dominium rei commutatæ extrâ ordinem in alium; sed illud transfert ipse Dans talem rem commutatam, si dominium ejusdem sibi reservavit: vel ipse Papa; si Dans illam rem non reservavit sibi illius dominium: consequenter nec F. Minor accipit dominium rei, quam pro commutata accepit; sed Dans, vel Papa. *Kazenb. hic q. 3. Resp. 3.* Licet Fratribus res commutare etiam commutatione ministeriali; quia hæc nullum jus politicum in rem commutatam dicit. Unde res mobiles, v. g. Libri, utensilia &c. cum expedit illa distrahi; possunt per Generales, Provinciales, & alios de eorum licentia, in, & extra ordinem, nullò interventu Syndici Apostolici, commutari commutatione ministeriali, auctoritate Dantium, vel Papæ, ut v. g. frumentum pro cerevisia &c. cum hoc tamen discrimine: quòd dum Dans dominium rei sibi reservavit; commutatio fieri non potest sine illius explicito consensu, si commodè peti potest; nemo enim de re alterius absque ejùs consensu disponere potest. Si verò Dans non reservavit sibi dominium rei, sed Ecclesia Romana, sive Papa illud assumpsit; tunc commutari potest nullò Syndici interventu. *Ità Nicol. III. art. 6.* Nam sicut ibi Papa dat Fratribus licentiam donandi vilia extrâ ordinem, si-  
nè interventu Syndici, licet per talem donatio-

nem dominium transeat in recipientes; eò, quòd Fratres hic in donando purè ministerialiter se habent; sic idem de commutatione rerum dicendum est. Aliud est de emptione, & venditione etiam ministeriali Fratribus illicita; quia in eis intervenit pecunia, cujus usus Fratribus est interdictus. *Kazenb. lo. cit. supra.* Ex quibus

138. Infer: 1. Quòd liceat uni Gvardiano, cum licentia Patris Provincialis saltem interpretativa, commutare ea, quibus abundat in suo conventu, pro iis, quibus abundat alter Gvardianus in suo, ut: si uni superfluat butyrum, & alteri frumentum, possunt unum commutare pro alio. Pari-  
ter possunt Fratres aliqua mendicare, ut sic commutentur, si alius modus habendi necessaria non est, & addit vera necessitas. *Marchant. in C. 6. Reg. tit. 3. q. 5.* Quando verò in nostris resolutionibus Generalibus legitur: quòd non liceat Fratribus aliquid commutare; intelligi debet de commutatione civili, ad quòd opus est Syndico. Nec nocet, quòd F. Minor in commutatione naturali, vel ministeriali desideret, & habeat intentionem, ut servetur æquivalentia rerum naturalis; quia contractum non facit per se æquivalentia rerum: sed modus dandi, & recipiendi, hoc est: si proponatur pretium rei commutandæ, & prætendatur ex justitia æquivalens, ac inventâ proportione, pactum inter commutantes ineatur, quòd utraque pars sit contenta. Insuper observandum hic est: quòd licet *Nicol. III. art. 6.* concedat, ut commutatio rerum fieri possit à Generali, vel Provinciali conjunctim, vel divisim: tamen quoad commutationem Librorum standum est dispositioni Urbani VIII. per Bullam: *Conserva-*



*tioni*: & Benedicti XIII. per Bullam: *Exponi nobis*: volentium: ut commutatio Librorum fiat à Provinciali & Definitoribus conjunctim: quòd semper intellige de commutatione non civili; nam ad civilem opus est Syndico, juxta dictam Bullam Urbani VIII.

139. Infer. 2.. Quod Superior loci, habens abundantem eleemosynam datam pro suo Conventu, possit aliquid de ea alteri Conventui tribuere, cum licentia tamen R. P. Provincialis, ut declaravit Eugenius IV. quæ licentia in nostra Provincia defactò sufficit tacita.

140. Qr. 12. Utrum liceat Frat: Minoribus res aliquas elocare civiliter? vel taliter mutuare, impignorare, commodare, & debita contrahere? *Resp*: ad omnia: non licet; quia talia important obligationem civilem, cujus Fratres sunt incapaces. Et ideò, si aliqua res, impignoranda civiliter, pertinet ad Papam: tunc hoc debet facere Syndicus, & non Fratres. Si verò pertinet ad Dominum ipsius rei: tunc ipse Dominus, vel ejus substitutus id debet facere. *A Pol. hic n. 2.* Quòd si aliqua res non est impignoranda civiliter, pro qua nempe possit agi in judicio; sed quòd tantum Fratres permittant bona fide tradere rem pro pignore: tunc Fratres poterunt per seipsos, de licentia Domini talis rei, eam impignorare: vel de licentia Syndici, si res impignoranda pertinet ad Ecclesiam. *A Pol: supra.* Dicendum pariter de *Mutuo*: quòd non possint Fratres mutuò dare, vel accipere civiliter, ob rationem mox datam: & quia id expressè prohibet *Nicol. III. § cæterum.* Ratio ulterior est; quia in mutuo de meo fit tuum, & è contra, quòd

quòd non convenit Fratri Minori. Dare verò, vel accipere mutuò. sumptò mutuò *largè*, seclusà scilicet omni restituendi obligatione politicà, & solum obligando propriam fidelitatem, possunt F. Minores, v. g. dicendo: mutuè mihi modium calcis, & ego conabor satisfacere: dummodo non dent mutuò pecuniam, contra prohibitionem Regulæ. *A Pol. supra.* Deinde: non possunt Fratres *commodare* vel *commodari*; quia commodare, est rem aliquam alterius fidei ad utendum ad tempus gratis concedere, cum obligatione, eandem numero, & bonitate restituendi: cujus obligationis civilis non sunt Fratres capaces. Possunt tamen, præcisà dictà obligatione civili, res sibi concessas commodare, & commodari, rem sibi commodatam conservando. *A Pol. n. 24.* Idem etiam de debitis contrahendis cum proportione intelligendum est. *Locare* autem nullò modò licet Fratribus.

141. Qr. 13. An Fratres possint aliquid donare? *Resp*: FF. Minores, de licentia suorum Superiorum, possunt donare donatione naturali, non verò civili, intrà ordinem ea, quæ ipsorum usus licita sunt; quia hujusmodi donatio intrà ordinem est tantum simplicis usus facti translatio, seu potius cessio de licentia Superiorum. Imò licet FF. Minoribus, de licentia suorum Superiorum, juxta declarat: *Nicol. III. art. 6.* vilia, seu parum valentia extrà ordinem dare, servatis sequentibus conditionibus: 1. ut res, quæ datur, sit mobilis. 2. ut non sit pecunia. 3. ut sit parum valens. 4. ut judicium de vilitate, & valore, à Capitulo Generali, vel Provinciali feratur. 5. ut donatio fiat cum licentia sui Superiorum.



ris expressa, vel saltem tacita; quæ est: dum Superior id scit, non tamen contradicit, sed libenter annuit. *A Pol. hic n. 26.*

142. Qr. 14. An liceat FF. Minoribus dare suis operariis in partem mercedis v. g. frumentum, farinam, victum &c? *Resp:* Licet id dare ex æquitate, & gratitudine naturali; non verò ex pactione civili; hæc enim solis Syndicis Apostolicis licet. Ratio est; quia Benefactores, qui dant cibum, vel frumentum Fratribus, non censentur ea ita ad Fratres restringere: quin, qui laborant cum Fratribus, ex eis comedere possint. *Kazenber. hic, q. 5.*

143. Qr. 15. Utrum Fratres mendicare teneantur? *Resp:* Juxta Regulam, & Declarationes Sum. Pontificum Nicol. III. & Clem. V. saltem indirectè tenentur Fratres ad aliquam mendicationem. Ratio est; quia cum in rebus nihil juris habere possint; ideò res, quibus utuntur, debent tanquam puram eleemosynam recipere. Dicitur est: *ad aliquam mendicationem tenentur*; non enim videntur strictè teneri ad mendicationem, quæ sit ostiatim; sed tantùm generaliter ad mendicationem; quæ omnia ea, quæ quovis modò eis donantur, recipiunt ut mendici. Benè enim mendicat; qui oblata quotidie ut mendicus recipit. Benè mendicat: qui ad mercedem suo labori debitam recipendam non nisi ut mendicus accedit. Benè etiam mendicat: qui ut mendicus panem ostiatim quærit, & accipit. *Kazemb. q. 4. Dixi: indirectè:* quia directè nec à Regula, nec à declarationibus Pontificum tenentur.

144. Qr. 16. Utrum liceat Fratribus habere annuos redditus? *Resp:* Non licet FF. Minoribus

habere annuos redditus, vel quæ ad naturam reddituum accedunt. Ratio est; quia redditus formalis, & propriè dictus, est jus, seu actio, ad aliquid annuatim percipiendum: quod contrariatur nostræ paupertati, & mendicanti. Voluit autem S. Pater, ut ejus Fratres tanquam peregrini, & advenæ in paupertate, & humilitate Domino famulentur. Moxque suggessit illis medium vitam sustentandi, dicendo: *vadant pro eleemosyna confidenter:* quibus omnibus annui redditus adversantur. Ità etiam expressè declaravit Clem. V. §. *Proinde* dicens: *Cumque annui redditus inter immobilia censeantur à jure: ac hujusmodi redditus obtinere paupertati, & mendicanti repugnat; nulla dubitatio est: quòd prædictis Fratribus redditus quoscunque, sicut & possessiones, vel earum etiam usum, cum eis non reperitur concessus, recipere, vel habere (conditione consideratà ipsorum) non liceat.* Dicitur autem est: *vel quæ ad naturam redditus accedunt*, uti sunt: Oves, Boves, Apiaria, columbaria &c. quæ fructum aliquem reddunt; quia & hæc omnia prohibentur Fratribus: tum quia aut mendicantem tollunt, aut quandam provisionis certitudinem præbent: quæ ambo sunt contra nostrum situm; nam ita S. P. Franciscus abstulit à nobis rerum proprietatem, ut omnino relinqueret incertam mendicationem. Non est tamen Fratribus illicitum per se nutrire unum, vel alteram porcum: unum bovem ad mactandum, aut aliquas gallinas ad habenda pro infirmis ova, & hoc tantum pro aliquo tempore, & sublevamine rationabili, non



ad superfluitatem; quia hoc non præjudicat mendicitati, & incertitudini vitæ FF. Minorum. *A Pol. supra n. 44. cum aliis.* Licet etiam Fratribus parùm quid à Benefactore annuatim recipere, cum protestatione in scriptis danda: quòd ad ejusmodi elemosynam nullum jus habeant. Ex Decisionibus Generalibus, ut testatur *P. Florid. q. 3. §. 2. n. 12.*

145. Qr. 17. Utrum liceat FF. Minoribus provisiones aliquas facere? *Resp:* Ordinariè non licet; nisi tunc tantùm, cum esset multùm credibile ex jam expertis, quòd non possent aliter vitæ necessaria invenire. Ita in terminis Clem. V. §. *Licet verò.* Necessitas autem ista faciendi provisiones, ut habendi granaria, cellaria &c: relinquatur Ministrorum, & Custodum simul, & separatim in suis administrationibus, & Custodiis, cum Gvardiani, & duorum de Conventu loci discretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum consilio, & assensu, eorum super hoc specialiter conscientias onerando. Hucusque idem Clem. V. Dixi: *Ordinariè non licet;* quia si per quotidianas mendicationes possent Fratres necessaria sibi procurare; utique peccarent graviter procurando tales provisiones rerum pro longiori tempore.

146. Qr. 18. Utrum Fratres superflua mendicantes peccent? *Resp:* Fratres mendicantes superflua cum licentia suorum Superiorum, licet non peccent peccato proprietatis; peccant tamen mortaliter, vel venialiter pro quantitate materiæ contra votum paupertatis. *Ratio a p. est;* quia vitium proprietatis in hoc præcisè consistit: quòd quis voto paupertatis adstrictus, retineat, vel

expendat rem nomine proprio, quasi sibi propriam, absque licentia Superioris; atqui hoc non fit hic; ergo *Ratio 2. p.* desumitur tùm ex nostris Expositoribus, qui id affirmant: tum ex declaratione Nicol. III. §. *Insuper,* ubi dicit esse contra Regulam habere superflua, & consequenter mendicare ad superfluitatem, quæ deroget Paupertati. Tum ex *Trid. sess. 2. de Reg. c. 2.* ubi superflua prohibentur. Tùm deniquè, quia nec ipsi sæcularibus licitum est retinere superfluum; cum hoc tam lege naturæ, quàm Divinà teneantur in pauperes erogare, juxta illud Christi Luc. 11. c. 41, *quod superest, date elemosynam:* quò ergo peccato poterunt Fratres retinere, aut mendicare superflua? profectò non nisi peccando.

146. Qr. 19. An liceat FF. Minoribus mendicare res sibi necessarias, ut oleum, cæram, cerevisiam &c cum certitudine morali, quòd illi, apud quos fit mendicatio, debeant prædicta emere, si velint ea Fratribus dare? *Resp: affirmativè* cum Sanchez Rom. & Cajetano à Berg. *Instr. 7. n. 6.* qui tamen exigunt aliquas conditiones, & quidem primus quinque sequentes: 1. ut res illa mendicanda sit necessaria aliqua verà necessitate. 2. ut non datà operâ accedatur ad illum, qui eam debet emere. 3. ut in petitione talis rei non dicatur Benefactori, ut eam emat. 4. ut Fratres non habeant intentionem, ut eam emat. 5. ut Benefactor spontè eam emat. Alter verò exigit duas sequentes: 1. Ut in manibus substituti non sint elemosynæ pecuniariæ sufficientes ad providendum omnibus omninò necessitatibus Fratrum tam præteritis, quàm



præsentibus, & certò imminentibus. 2. Nè quæstor ducat secum aliquem sæcularem, per quem accipiatur pecunia, & dein expendatur. Quæ duæ posteriores conditiones præcipuè attendendæ sunt.

148. Qr. 20. An Fratres possint institui Hæredes? *Resp:* Nullò modò Fratres possunt institui Hæredes; quia Hæreditas juxtà Juristas est successio in univèrsum jus, quod habuit Defunctus; jus autem omne & successio repugnat paupertati Fratrum. Ita etiam Clem. V. § *Proinde*. Ex quo *Sequitur* 1. Quòd FF. Minores sint incapaces successionsis Hæreditariæ, sive ex Testamento, sive ab intestato, sive directè, sive indirectè per fidei commissum relicta: & consequenter, sive ipsi immediatè instituerentur hæredes, sive mediatè, prout contingeret: si Testator mandaret, ut Hærede immediatò ab ipso institutò decedente, hæreditas devolyatur ad ipsos Fratres. *A Pol supra n. 48. Sequitur* 2. Quòd nullò modo liceat Fratribus sese insinuare, & quod p. jus est, procurare hæreditatem aliquam, vel legatum quocunque, ut cavetur in nostris *Const. Gen. c. 4. Sequitur* 3. Quòd FF. Minores non possint institui hæredes etiam cum clausula, ut scilicet hæreditas vendatur, & pretium convertatur ad usus Fratrum necessarios; quia cum generaliter in dicta Clementina *Exiiv. §. Quia igitur* dicitur: quòd *nullatenus* talium successio Fratres sunt capaces: ergo nec cum clausula adjuncta. *A Pol. hic n. 52.* qui mox sequenti numerò docet: quòd si Fratres non instituantur hæredes; sed alter, qui ipsam hæreditatem debeat vendere, & ejus pretium in Fratrum necessitates expendere: hoc nullo jure videtur Fratribus esse prohibitum;

& idèò licitè hoc poterunt acceptare, quatenus non succedunt in aliquo jure Defuncti, & modò quantitas non sit immoderata. ità, ut in fraudem paupertatis non possit præsumi. Et ego addo: modò addit vera necessitas, nec adint alia pecuniæ pro ea sublevanda. Rationemque compleo: quia talis dispositio hæreditatis habebit potius rationem Legati, & non hæreditatis. *Sequitur* 4. Quòd nec Ecclesia Fratrum possit institui hæres; quia si valeret talis institutio, facilè deludi posset Constitutio prohibens Fratribus etiam in communi hæreditariam successioem; quam tamen Testator eisdem facilè relinquere posset, omisso nomine *Conventes*, utendo nomine *Ecclesie*. Deinde quia repugnat Ecclesiam Minorum institui hæredem immediatè, ut etiam Fratres non dicantur institui; nam esse hæredem importat dominium, quòd non potest cadere super materiale Ecclesiæ, vel Sacrificiæ; sed potius super Personas, quorum est Ecclesia, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 86. art. 2.*

149. Qr. 21. An possint Fratres Minores acceptare Legata simplicia? *Resp:* Possunt Fratres legata simplicia, seu quæ unà solutione præstantur, in testamentis relicta acceptare, si ea modò licitò Fratribus relinquuntur. Ita Nicol III. §. *Ad hæc. & §. Si verò*. Et ratio est: quia si licitum est Fratribus à viventibus eleemosynas necessarias quærere, & acceptare, ut suprà dictum est: ergo etiam licitum erit eis eleemosynas à Testatoribus relictas acceptare, dummodò talia eleemosynaria legata modò congruè, & licitò nostro statui, & in quantitate moderata, non superflua relinquuntur. *A Pol. n. 56. Per Legata*



tum autem intelligitur donatio alicujus rei à Testatore relicta, & ab hærede, seu executoribus testamenti post mortem Testatoris præstanda. Censetur verò Legatum *modò congruò & licitò* Fratribus relictum: Si (ut dicit Nicol. III. lo. cit.) Testator diceret: *lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam: vel domum, agrum, vineam, & similia ad hoc, quòd per certam Personam, vel Personas idoneas distrahantur, & pecunia de rebus ipsis accepta in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur: aut in legando similibus modis, vel verbis utatur.* Et ad hunc modum legandi licitum, & congruum reducitur etiam illud Legatum, quòd Testator *generaliter*, absque modi expressione, legat Fratribus, ut dicit idem Pontifex cit. lo. Tunc autem modò *incongruo, & illicitò* aliquid legatur Fratribus; ut si testator (proùt idem ait Pontifex) legaret Fratribus vineam, vel agrum excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo servaret; à tali legato, & ejus receptione per omnem modum Fratres abstinent. Et meritò: quia & modo illo incongruo relinqueretur Fratribus dominum, & proprietas veri juridici usus fructus, quòd est contrà Regulam. Hinc.

150. Infer: Quòd ut aliquid modò congruò, & licitò Fratribus legetur, servandæ sunt sequentes 4. conditiones: 1. Ut permodum puræ eleemosynæ legetur, sine ullo jure Fratrum. Et ideò hic servandum est id totum, quòd docet Nicol. III. *art.*

4. §. *Quo casu*, de pecunia. 2. ut res, quæ legatur, vel cedere possit usus Fratrum in se; vel ex commissione Testatoris converti possit in rem Fratribus necessariam: sive demùm sint denarii, sive pecunia, ut ait Nicol. III. art. 5. 3. ut per tale legatum mendicitas Fratrum non tollatur, aut certè gravem jacturam non patiat. 4. Ut ex magna quantitate accepta non possit præsumi fieri in fraudem hæredum, aut præsumi oculus sinister adversus Fratres. Ità Clem. V. c. *Exivi*.

151. Qr. 22. An Fratres possint acceptare Legata perpetua? Ante resp: *Nota*, Certum esse, quòd Legata etiam perpetua facta in beneficium Ecclesiæ, Sacriliæ, aut alterius usus Sacri, licita sint FF. Minoribus, & valeant, prout expressè ait glossa in *Clement. Exivi*. §. *Proinde* asserens: *Tenet annuus redditus, cum relinquatur ad certum usum Divini cultus, puta vinum pro Sacrificio, frumentum pro Hostiis: Conventus enim est capax; quia redditus non deputantur victui, vel vestitui Fratrum, nec tollitur inde mendicitas.* Et ità etiam declaravit S. Congr. sub Urbano VIII. apud Fagnanum in *Cap. Nimis prava. de excess. Prælat. ubi* ad quæstionem: *An valeat Legatum annuus redditus factum fabricæ, Sacriliæ, vel Ecclesiæ FF. Minorum?* Respondit valere, nisi sit excessus in quantitate. Utrum autem idem dicendum sit de legatis perpetuis relictis Fratribus, vel Conventibus pro victu, vestitu, & sustentatione Fratrum? hic est in quæstione: ad quam

152. Resp: Quòd circa hanc quæstionem ducit



sunt Expositorum sententiæ: una affirmans, altera negans; utraque autem & verè probabilis, & tuta. Verùm negans in praxi tenenda: tum quia vix unquam contingere potest casus urgens nos ad simili: legata perpetua acceptanda: tum eò, ut evitemus scandalum, & admirationem apud eos, qui non sciunt discernere inter legatum civile, & juridicum, & inter legatum materiale, seu purè eleemoynarium, quòd omne jus, & actionem excludit. Itaque sententia affirmans (quæ est Cordubæ & Rodriquez) licita nobis esse legata perpetua, per modum purè eleemoynæ, & cum debita protestatione, probat id tum auctoritate Urbani VIII. qui in sua Constit: Injuncti nobis approbat statuta, & declarationes factas in Generali Capitulo FF. Minorum de observantia, præcipiendo: ut ea in omnibus. & per omnia inviolabiliter observentur. Circa vero annua legata præcipit observari Decretum Congregationis Generalis FF. Minorum de observ: habitæ Romæ 1603 tenoris sequentis: *Cum annuos redditus, sicut cætera bona immobilia nobis habere non liceat: ideò renovantes alia generalia statuta, decernimus: quòd nullus Fratrum inducat personam aliquam ad eleemoynam perpetuam nostro ordini adhibendam, nec exhibitam à quopiam vivente accipiant. Et si aliqua talis nobis fuerit relicta: nullò modo in judicio exigatur, declarantes: quòd ad legata perpetua petenda non possint Fratres recurrere, nisi humiliter, & permodum eleemoynæ, absque allegatione alicujus debiti. Decernitur præterea, ac præcipitur per*

*S. Obedientiam: quòd quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus Personis, Hospitalibus, & aliis Domibus eà lege: quòd teneantur Fratribus præstare singulis annis certam eleemoynam, sive omninò gratis: sive ut ipsi Fratres certa officia, & Missas peragant: quòd Guardianus faciat protestationem ei, qui Testatoris voluntatem adimplere tenetur: quòd ad illius eleemoynas nullum jus habeant ex vi Legati, nec possint obligari ad illa officia, & Missas. Si tamen, facta istà protestatione, hæres ex sua libera voluntate voluerit dare eleemoynas illas, & committere Fratribus dicta officia, & Missas; tunc Fratres tutà conscientia possunt eleemoynas hujusmodi recipere. Deinde hæc sententia affirmans probat id ex doctrina S. Bonaventuræ: qui expressè legata perpetua ut licita admittit, cum debita tamen protestatione; quòd in talibus legatis nihil juris habeamus; quam doctrinam brevitate gratiã omitto; videri tamen potest in Tom 4 Bullarii Cherubini fol. 531. unà cum alterata Constit: Urbani VIII. Dum verò Negans sententia opponendo dicit: Legata perpetua pugnare paupertati FF. Minorum: Affirmans sic distinguit: Legata perpetua si dentur, & acceptentur à Fratribus, ut eis de jure debita; conceditur: si dentur & acceptentur, ut eleemoynæ spontè oblatae, absque omni jure, subdistinguitur: repugnant paupertati, si excedant limites nostræ paupertatis in quantitate, vel qualitate, conc. si sic non excedant, negatur. Qui verò tenent Negativam sententiam (ut est Illic*



rongm. à Polit. Bernardus à Bon & Marchantius hic tex. 2. tit. un. q. 1. dub. 4. cum aliis) probant eam tum ex Declaratione Clem. V. Cap. Exivi §. Proinde. de annuis redditibus, videnda supra n. 144. qui ab eo computantur inter res immobiles, tanquam illicitas Fratribus. Tum quia dicunt Legatum perpetuum, eò ipso quòd sit perpetuum, modò incongruò nobis relinqui; à quali Nicol. III. art. 5 per omnem modum præcipit abstinere. Verùm cum hæc, & alia argumenta affirmans sententia solidè solvat: proinde in casu urgenti, modò absque scandalo, licitè & tutè potest ad praxim deduci. Quapropter appono hic & formam Protestationis, faciendam omninò à Fratribus in tali casu, desumptam ex dicta Constit: Urbani VIII. tenoris sequentis: *Nos F. N. Guardianus Conventus N. & Discreti ejusdem dicimus: ad nostram notitiam pervenisse; quòd N. certam eleemosynam, huic Conventui distribuendam, perpetuò gratis, (vel forsitan pro aliquibus Missis, & Officiis celebrandis) legavit: cumque legata hujusmodi nisi per viam simplicis eleemosynæ acceptare, & institutò sancto nostro, & jure nobis non liceat; ideò per præsentem liberè protestamur in Domino: quòd prædictum legatum, tanquam illius incapaces, ex vi Legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen Hæres, Commisarius, aut Legatarius ipsius Testatoris dictam quantitatem per viam simplicis eleemosynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate penitus cessantibus, nobis liberè conferre voluerit;*

*illam simpliciter accipiemus, & præ Testatoris voluntati, quantum in nobis fuerit plenè, ac fideliter satisfaciamus.* Ità habetur in dicta Constit: in fine cujus dicitur: quòd hæc protestatio subscripta per Guardianum, & Discretos Conventus detur illi, qui tenetur Testatoris voluntatem adimplere. Et eadem protestatio scribatur in libro Conventus, ut constare possit successoribus Guardianis hanc Constitutionem fuisse impletam. Ex quibus.

153. Inter 1. Quòd, cum donare, seu alienare FF. Minoribus illicitum sit, utpote supponens dominium, & proprietatem, sequitur: quod Fratres legatum sibi relictum non possint sive in parte, sive in toto remittere, aut condonare Hæredi. Et ideò, si quis vi Testamenti obligatus ad aliquid præstandum Fratribus, peteret remissionem, condonationem, aut renuntiationem, instruendus est: quòd Fratres non sint Domini Legati illius, & consequenter non possint ei id præstare, & eum deobligare, ad quod ipse præstandum etiam lege naturæ tenetur; nè sic defraudetur pia Testatoris voluntas.

154. Inter 2. Quòd cum FF. Minores sint capaces Legatorum modò congruò, & licitè ipsis relictorum, sequitur: quòd etiam Hæredes sint obligati prædicta solvere: non quidem obligatione aliqua civili; sed ex æquitate naturali, ut ait Bartolus Lib. 2. *Minoric. Decis. Dist. 7. c. 2.* Consequenter Fratres possunt petere non quidem in judicio, sed extrà satisfactionem Legatorum, ut idem Bartol. docet c. 3. fundatus in declaratione Nicol. III. §. *Cæterum*, ubi dicitur: *Posunt tamen Fratres suas necessitates insinu-*



are, ac etiam rogare, ut solvat &c. Quòd si Hæres, vel Executores Testamenti renuant solvere dicta Legata, etiam præmissa petitione, & admonitione; possunt Fratres, citrà præjudicium Regulæ, insinuare id Episcopo tanquam Patri, vel alicui Personæ sæculari, quibus id de jure competeret, ut dicit Nicol. III. art. 5. §. Si verò eosque admonere de injustitia Hæredis.

155. Iner: 3. Si contingeret, quod Testator legaret aliquid Fratribus, cujus incapaces sunt; vel aliquid, cujus quidem capaces sunt; tamen attentis omnibus, superfluum judicatur; deberent Fratres simpliciter dicere, se non posse illud legatum acceptare; quia vel statui ipsorum non est conveniens, vel quia eò non indigent. Illud tamen propriè renuntiare non possunt; quia *Renuntiatio* est juris proprii spontanea relutatio, ut dicit Ostiensis.

### De Syndico Apostolico.

156. Qr. 23. Quid sit Syndicus Apostolicus? *Resp:* Juxta Hier. à Pol. Cap. 4. n. 47. Syndicus, seu Procurator, seu Æconomus Apostolicus est ille: qui nomine Papæ, seu Romanæ Ecclesiæ ad expedienda negotia Fratrum deputatur. Hunc autem Syndicum, imò & plures, si opus sit, Minister Generalis, vel Provincialis, vel Custos (ut in Martini IV. Bulla: *Exultantes* habetur,) possunt denominare: aut etiam alii, ut Superiores locales, habentes ab illis commissiõnem. *A Pol. supra P. Flor. q. 4. Dixi: Denominare,* non verò in rigore instituire; quia Syndici

non agunt ut constituti à Fratribus; sed ut à Pontifice, per denominationem Fratrum. Superiores tamen Locales, absque tali commissione specialii, non possunt denominare Syndicum; quia Pontifex hanc potestatem expressè dat dictis tantum Ministris. Porrò talis Syndicus denominari potest vel simpliciter, vel authenticè. *Simpliciter* denominatur; quando eum P. Provincialis solà voce denominat, v. g. dicendo: *Nominò D. V. in Syndicum.* Si verò hæc denominatio fiat ab habente delegatam potestatem, addatur: *ex delegatione P. Provincialis* &c: Et hoc communiter fit, quando occurrit casus, aliquam rem nobis inutilem vendendi; commutandi extrajudicialiter, cum pretii æstimatione, v. g. lanam albam commutandi cum nigra &c. *Authenticè* verò denominatur, quando juxta Hier. à Pol. fit denominatio coram Notario publico, & duobus testibus. Verùm juxta *P. Florid. locò supra cit.* non est opus tantâ solemnitate; sed sufficit etiam ad actus publicos, si detur Syndico testimonium scriptum, sigillo Provinciæ munitum; in quo testetur potestas denominandi Syndicum, & electio, seu denominatio hujus Personæ ad officium Syndici. Quâ denominatione sic factâ, transfert Papa in Personam sic nominatam suam auctoritatem; quâ possit ipsius nomine recipere, commutare, & vendere res Fratrum usui concessas, & oblatas, quæ ad dominium Papæ pertinent. Et taliter Syndicus à Ministris nominatus, & à Papa institutus, nec est, nec dici potest *Persona interposita Fratrum*; quia nec auctoritate Fratrum constituitur, nec administrationem habet in res aliquas, quarum jus, vel domini-



um ad Fratres pertineret: nec ullam actionem nomine Fratrum, sed solius Papæ exercet. Dicitur est: *quæ ad dominium Papæ pertinent*; nam si Dantes, vel Legantes aliquas res Fratribus, earum dominium sibi reservant: vel si dant, aut legant modò Fratribus incongruo: talium rerum dominium Papa in se non recipit; sed eorum tantùm accipit, quarum usus facti Fratribus est licitus. *Nicol. III. art. 3.*

157. Qr. 24. Quæ est Potestas, & Officium Syndici Apostolici? *Resp.* Juxtâ declarationes Summi Pontificum, Potestas, & Officium Syndici ad quinque se extendit. *Primum* officium Syndici est: Ut nomine Papæ recipiat omnes res mobiles, & immobiles, quæ Fratribus licitè, v. g. ex Legato, aut alias congruò modò obveniunt; quarum dominium Dantes à se abdicarunt, & Romana in se suscepit Ecclesia. *Secundum* Syndici officium est: Ut possit vendere, commutare, & distrahere omnes res, non solum eas, quibus Fratres utuntur, aut usi fuerant; sed etiam quæ ipsis donò, aut quòcunque titulò consignantur, sive eis acti uti possint, sive non possint: & pretium in usus necessarios Fratrum expendat. *Tertium*: Ut nomine Papæ recipiat, & judicialiter requirat ex testamento relictas elemosynas omnes, etiam pecuniarias. *Quartum*: Ut omnia, tam res, quam pecunias testamentarias: sicut etiam alia jura, & Privilegia in, & extra judicium propugnet exigat &c. *Quintum*: Ut tanquam perpetuus Syndicus recipiat, & apud se deponat omnes elemosynas pecuniarias, quòcunque titulò eæ, sive ex testamento, sive aliunde proveniant. Et hoc ultimum punctum addit Martinus V. His præmissis.

158. Qr. 25. In quibusnam casibus nobis Capucinis uti licet Syndico? *Resp.* 1. In primo casu licet nobis uti Syndico; quia *Nicol. III. art. 3. §. ad hæc.* testatur: quòd eas res, quas Fratribus vi Regulæ licet habere, ipsemet in suum recipiat dominium; atqui quòd potest facere per se, potest etiam facere per suum Syndicum: ergo potest Syndicus eas res legatas, vel donatas nomine Pontificis à Benefactoribus accipere, & Fratribus consignare. Verùm nulla est hic necessitas ad hoc negotium denominandi Syndicum (nisi sit res immobilis vendenda &c.) eò, quòd ejusmodi res, quæ nobis gratis donantur, & quibus uti licet, nos ipsi immediatè à Benefactoribus accipere possumus ad usum, manente dominio apud Pontificem.

159. *Resp.* 2. Quòd ad secundum casum etiam non est difficultas; quantum attinet ad vendendas res, quibus Fratres acti utuntur, si factæ fuerint inutiles, aut superflue; quia *Nicol. III. art. 6. §. quia verò.* statuit tales res per Syndicum esse vendendas &c. Quantum verò spectat ad alias res donatas, legatas &c. vendendas, quibus Fratres non volunt uti, aut non possunt, propter earum quantitatem, aut qualitatem, verè probabile est: quòd ad vendendas ejusmodi res Fratres uti Syndico licitè, & absque relaxatione Regulæ possunt. Patet id tùm ex *Nicol. III. art. 5. §. Si verò,* inrà ponendo: tùm ex *Martino IV. & Paulo IV.* qui protestantur: quòd eorum constitutiones non sint contrà, sed juxtâ puritatem Regulæ. *Nec dicas cum Adversariis:* Sedes Apostolica non statuit in suum dominium, nisi res, quibus nobis uti licet; sed rebus, quæ nunquam in usum nostrò licitè fuerunt, ut si-



perfluis, & inutilibus, nobis uti non licet: ergo eas Papa in suum dominium non recipit: consequenter Syndicus eas nomine Papæ vendere non potest. *Resp: n. Maj.* utpotè absolute fallam; constat enim ex ipso Nicol. III. locò mox citato contrarium: ubi etiam ea, quibus nobis uti non licet, ut pecuniam, domum, agrum, & familia accipit in suum dominium; sic enim *art. 5.* ait: *Si verò modum licitum Fratribus in legando Testator expreserit, ut si diceret: lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam: vel domum, agrum; vineam, & similia ad hoc; quòd per certam personam distrahantur, & pecunia de rebus ipsis accepta in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur; in hoc casu decernimus: quòd superius in concessis elemosynis pecuniariis declaratum &c.* Jam autem superius §. *Ceterum*, ubi agitur de recipiendis elemosynis pecuniariis, nil aliud ad rem nostram statuit; quàm quòd Fratribus liceat denominare Personam idoneam, quæ tales pecunias expendat pro Fratrum necessitatibus, casu quò ipse Benefactor id facere non vellet, aut non posset: consequenter etiam in casu Legati Nicolaus III. vult, & concedit: ut Fratres denominent aliquem, qui tale legatum accipiat, & ad eorum necessitates veras convertat. Ast, quem Fratres denominabunt post mortem Benefactoris, ubi hic non amplius poterit constituere substitutum? profectò non alium, nisi Syndicum Apostolicum. Itaque *Dist: Maj.* Sedes Apostolica non recipit in suum Dominium res, quibus nobis uti non licet, ut nobis eas con-

servet in usum C. M. ut eas curet vendi, & pretium ad nostram necessitatem applicet n. M. Potest ergo Syndicus omnes res, et am nobis superfluas vendere, commutare &c. juxtà puritatem nostræ Regulæ *Dices 2.* In Capitulo nostro Generali 1637. decisum fuit: quòd si lana fuerit quæsitã inutilis, v. g. alba pro nigra, aut superflua, eam non liceat per syndicum vendere; & hoc idè abque dubio; quia nunquam adhuc fuit in dominio Pontificis: ergo. *Resp:* quòd huic decisioni alia adfit contraria, sequenti Capitulo Gen. 1656 facta, quâ deciditur; quòd possit quæri, & indifferentem acceptari lana tam utilis, quàm inutilis, & per Syndicum vendi, commutari &c. Pro quo sciendum, quòd Capitula Generalia sæpè in suis resolutionibus considerent magis id, quòd simplicius visum fuerit; quàm quòd est obligatorium.

160. *Resp: 3.* Etti, juxtà Cordubam hic *q. 16. pun. 5.* & P. Floridum *q. 4.* probabile sit: quòd nobis Capucinis liceat uti Syndico etiam in *Tertio*, & *Quarto* casu, & quidem absque relaxatione Regulæ: quia tamen Constitutio Martiniana non videtur esse acceptata à nostro Ordine; idè ordinariè in his duobus casibus non expedit uti Syndico; sed servandus est in illis repetendis modus præscriptus à Nicol. III. *art. 5. § Si verò.* In vera tamen, & urgente necessitate, dum aliter fieri non potest, possumus licitè quòd prædictos duos casus uti Syndico, juxtà declarationem Martini IV. & Pauli IV. qui Pontifices assecurant, suas Declarationes factas esse non contra, sed juxtà puritatem Regulæ. Ratio autem



Cordubæ pro tertio casu est hæc: quòd scilicet legata pecuniaria, licite nobis facta, non pertinent ad ipsum Legatam, qui mortuus est: neque ad ejus Hæredes; cum non ipse, sed Fratribus specialiter facta sint; Fratres autem nullius juris, aut domini sunt capaces: ergo dominium legatorum, aut saltem dispositio ad Papam pertinere probatur. Poterit ergo Papa de talibus legatis disponere, quomodo per suum Syndicum recipi debeant, & repeti judicialiter, vel extrâ, & in necessitates Fratrum expendi, sicut ipsius pecuniæ Dominus liberè disponere potuisset, quid per suum Substitutum esset faciendum: dummodo inde nullum oriatur scandalum pusillorum, nec Fratres litigijs assistant; sed tantum notificent Syndico, tale eis relictum legatum, non esse satisfactum. Quodsi aliquòd immineret scandalum, deberent Syndicum impedire, nè illud repetat. *A Pol. hic n. 50.* Pro quarto autem casu eadem respectivè ratio, & auctoritas militat.

161. *Resp:* 4. Quòd quintum casum non licet nobis habere Syndicum, qui nomine Papæ omnes indifferenter elemosynas pecuniarias quomodocunque provenientes, sive liberaliter datas, sive pro Missis &c. apud se deponat, expendat, exigat &c. Ratio est; quia hoc non potest fieri absque dispensatione relaxativa Regulæ: essent enim Fratres quòdā hunc quintum casum in tribus dispensati, & relaxati: nam electò tali Syndicò perpetuò possent extradi omnes pecuniæ ex quocunque titulo provenientes; sive existeret aliqua necessitas, sive non, pro communitate, & Fratribus privatis, ita: ut Benefactor, etiam ad Fratrum necessitates nondum fuissent ex-

pensæ, nullum amplius haberet jus disponendi cum iis, revocandi &c. *Item:* possent Fratres, dum pecunia ipsis offerretur, statim denominare Syndicum, nec amplius tenerentur expectare voluntatem Dantis, qualiter, & per quem talem pecuniam vellet expendi. *Item:* possent cum Syndico quasi jubere, & disponere, prout ipsi placeret: est enim ejus obligatio, prout Martiana admittit, ut pecunias non aliter expendat, quàm, & quomodo à Fratribus sit requisitus: quæ omnia sunt contra Declarationes Nicolai III. & Innocent. IV. qui pro pura observantia Regulæ zelarunt.

162. Qr. 26. In quo consistit Celsitudo Altissimæ Paupertatis FF. Minorum? *Resp:* Consistit in tribus: ratione quorum super omnem paupertatem aliorum Religiosorum rectè dicitur Altissima. 1. In omnimoda abdicatione omnis domini, vel juris tam ad rem, quàm ad usum rei: tam in particulari, quàm in communi, adeò: ut nec usum simplicem facti pecuniæ possint habere. 2. In usu arcto, & paupere: tenentur enim, ut supra dictum, ad arctos usus, qui in Regula exprimentur: & ad pauperes, & moderatos usus in illis, quæ in illa non exprimentur. 3. Consistit in eo: quòd FF. Minores omnia, quibus utuntur, recipiant, eisque utantur ut mendici, nihil ut debitum (etiam si pro mercede laboris) recipientes; sed ut pauperes elemosynam mendicantes: nec possint plura gratis oblata recipere, aut mendicare, quàm necessitas requirat. *Kazenb. hic q. 5.* Quare ut nos S. Pater alliceret ad hanc Paupertatem amandam, sectandam, & opere exercendam, tria nobis ad hoc proponit motiva: 1.



quod hæc Altissima Paupertas faciat nos hæredes, & Reges regni calorum. 2. quod nos quidem faciat pauperes rebus; virtutibus tamen, tanquam veris divitiis plurimum sublimet, & ditet. Est enim paupertas omnium virtutum mater; ex ea enim pullulat amor Dei, spes in Dei Providentiam, Humilitas; Temperantia, Castitas, Obedientia, Amor proximi, patientia &c. 3. Quia Paupertas perducit in terram viventium. Hinc S. Pater ulterius nos monet: ut huic Paupertati altissimæ totaliter inhæreamus, nihilque aliud pro Nomine JESU in perpetuum sub cælo habere velimus.

163. Qr. 27. An FF. Minores teneantur ex Regula sub peccato mortali suis Fratribus Infirmis servire, etiam in morbis contagiosis, sicut vellent sibi serviri? Resp: Affirmative. Ita Clem. V. §. Item. Et patet ex hoc capite Regulæ, ubi dicitur: *Si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri*; atqui quilibet Frater vult sibi serviri etiam in morbis contagiosis ab aliis Fratribus; ergo. Hoc tamen præceptum primò obligat Superiores, ut cum affectu curent suis Fratribus infirmis ministrari omnia necessaria temporalia, ut medicinas, victum, lectum &c. & Spirituality, ut Sacramenta Pœnitentiæ, viatici, &c. Quod si Superiores, aut ab eis constituti Infirmarii negligentes forent in cura infirmorum Fratrum; tunc singuli Fratres sub mortali tenentur servire infirmis Fratribus. Quando verò per alios debite servitur infirmis, non tenentur alii huic curæ incumbere. Addunt hic Expositores: quod Superiores, vel Infirmarii in cura infirmorum negligentes,

tes, non tantum contra Regulam, sed etiam contra jus Divinum naturale graviter peccant, ac propterea graviter sunt puniendi. Ex hoc

164. Infer: Quod licet S. Pater c. 4. Reg. mandaverit Superioribus sollicitam curam gerere pro necessitatibus Infirmorum Fratrum: & c. 6. Reg. præceperit, ut serviant suis infirmis Fratribus; tamen c. 10. Regulæ monet etiam omnes Fratres, ut hebeant Patientiam in infirmitate. Contra quod peccant 1. qui ad minimas indispositiones, aut debilitates sese deiciunt, statim pro medicis, & medicinis instant, atque illicò ab omni Religioso desistunt exercitio. 2. Gravius delinquent, qui in suis infirmitatibus præciosiora, & abundantiora exquirunt, quam deceat statum pauperum. Kerckhove c. 4. §. 6. n. 5. Reliquæ Admonitiones cum ex se sint claræ, attentè legantur, & attentius serventur.

---

## CAPUT VII.

### De Pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

165. Nota 1. Quòd in hoc septimo Capite Regulæ unum tantum contineatur præceptum sub mortali obligans, scilicet: quòd Fratres habentes Casus Reservatos, teneantur recurrere ad suos Ministros Provinciales, ut eorum absolutionem obtineant. Dein duæ admonitiones: 1. Ut Ministri



Fratribus peccantibus cum misericordia injungant pœnitentiam. 2. Nè Ministri irascantur, aut conturbentur, propter peccatum alicujus Fratris. Hæc verò reservatio casuum, seu peccatorum pertinet ad Capitula Generalia, & Provincialia, ut patet ex textu Regulæ dicentis: *Pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut, recurratur ad solos Ministros Provinciales &c.* Tamen ex vi muneris Pastoralis Minister Generalis in toto Ordine, & Provinciales in suis Provinciis habent potestatem reservandi peccata; quia dicti Prælati habent potestatem quasi Episcopalem in suos subditos, ut docet communis Theologorum. Guardiani autem non possunt sibi reservare casus; quia eorum potestas non est quasi Episcopalis, nec comprehenduntur à Regulæ textu. Nunc etiam, post Decretum Clementis VIII. de Reser. Cas. pro Regularibus 1593. editum, non possunt Ministri Generales, & Provinciales *se solis* reservare alios casus, quam illos tantum, qui in dicto Decreto exprimuntur. Dixi: *se solis*; quia in præfato Decreto Pontifex ait: *Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientie puritate reservandum judicabitur: id non aliter fiat; quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia maturâ discussione, & assensu.*

166. Nota 2. Quòd ab initio Religionis non reservabantur, nisi peccata publica; & consequenter Fratres pro tunc tantum pro peccatis publicis tenebantur ad Ministros recurrere; cum Regula videatur loqui tantum de peccatis publicis

tene.

tum ex eo; quia Fratres suum peccatum debebant manifestare Ministro etiam non Sacerdoti; ad quod non poterant obligari, nisi fuisset peccatum publicum. Tum quia hoc ita declararunt Gregor. IX. & Innocent. IV. Quapropter Fratres ex vi Regulæ non tenebantur pro peccatis occultis reservatis ad suos Ministros recurrere; licet modo teneantur ex Decreto Clem. VIII.

167. Qr. 1. Qui sunt Casus, seu peccata in Ordine reservata? *Resp.* Ex Decreto Clem. VIII. Casus in Ordine reservati solum sunt undecim: qui cum ubique in Theologis nostris reperiantur; idè hic brevitate gratiâ omittuntur.

168. Qr. 2. Ad quemnam tenentur recurrere FF. Minores Capucini pro obtinenda absolutione à peccatis reservatis? *Resp.* Missis omnibus, quæ circa hoc punctum statuerunt aliquando Summi Pontifices, & docebant Theologi nostri; nunc standum est Decreto Clementis XIII. per S. Congregationem S. Officii die 6. Maji 1761. edito; in quò dictus Pontifex *Demandat Ministro Generali Fratrum Capucinatorum, & Provincialibus: ut in unoquoque Provinciæ suæ Conventu deputent, ultra Superiorem localem, saltem duos Patres Pœnitentiariorum, eisque facultatem largiantur absolutionem impertiendi pro omnibus casibus reservatis, cum plena libertate. ed utendi, quotiescunque prænominati Pœnitentiarium expedire in Domino judicaverint; sintque omnino à quocunque præsentationis onere exempti. Insuper mandat PP. Provincialibus: ut commissionem delegent PP. Guardianis, & ipsis absentibus, eorum vices*

Q



gerentibus subrogandi unum, aut plures ex Confessariis approbatis: qui, deficientibus à Conventu uno, vel pluribus Pœnitentiariis ordinariis, ob omnibus casibus reservatis absolvere possint, pro solo tamen tantum tempore absentiae, aut infirmitatis Pœnitentiariorum ordinariorum. Ubi etiam idem Pontifex mandat à Bullario PP. Capuicorum Tom 6. pagi 516. penitus demi notam marginalem, quâ asseritur: quòd S. Congregatio Annò 1613. approbaverit, prout jacet, Decretum Capituli Generalis ibi relatum. Mandatque hæc omnia debere significari omnibus Provinciarum Fratibus per litteras encyclicas. Hucusque Pontifex. Hic tamen benè meminerint PP. Pœnitentiarum obligationis suæ gravissimæ, quam unanimiter docent omnes Theologi, ut pœnitentibus suis consuetudinariis, Recidivis, aut in proxima occasione peccandi persistentibus; si aut medicinales pœnitentias non faciunt: aut remedia sibi data contra recidivam non adhibent: aut denique si notabilem vitæ emendationem non ostendunt, denegent absoluti-  
onem.

169. Qr. 3. A quibus casibus PP. Generales, & Provinciales nostri possint absolvere suos Fratres? Resp: PP. Generales, & Provinciales nostri possunt absolvere Fratres sibi subditos ab omnibus casibus, & Censuris quomodolibet latis, & promulgatis à jure, vel ab homine: etiam à casibus Bullæ cænæ, hæreticos relapsos, Symoniacos tam notorios, quam occultos (satisfactione tamen præstitâ, vel saltem promissâ, si opus su-

erit) & quidem pro utroque foro, tam externo, quam interno. Ità omnes nostri Theologi: qui id probant tum ex Privilegiis variorum Pontificum, ut Leonis X. qui hanc facultatem largitur die 14. Maji 1515. Tum ex juris communis dispositione: nè vide licet Religiosi, relicto communitatis bono, propter privatum commodum, nempe absolutionem à censuris Papæ reservatis, per mundum, cum publico scandalo, & fors adhuc majori suæ salutis periculo, discurrere debeant. Illos tamen Fratres, qui vel à Nuncio Apostolico, vel ab Ordinario loci sunt nominatim excommunicati, nec Generales, nec Provincialis potest absolvere; nisi 1. (quod benè notandum) à contumacia recedant. 2. ut satisfactionem exhibeant, aut saltem promittant, prout poterint. 3. Ut judex, à quo F. Minor excommunicatus est, reddatur certior de obedientia præstitâ, & obtenta absolutione. Deinde: Generales, & Provinciales mendicantium possunt absolvere tam moniales eorum curæ commissas, quàm hospites, seu peregrinos Fratres jure hospitalitatis: tum etiam Novitios, non solum qui habitum susceperunt; sed etiam illos, qui suscipere volunt, modo statim Religionem ingrediantur: alias reincidunt in pristinas sententias. Pro complemento horum.

170. Resolvitur 1. Quòd FF. Minores, dum sunt in via, nec habent propriæ Religionis Confessarium; possunt cuique Religioso, & sæculari Sacerdoti peccata sua confiteri, ab eoque absolvi etiam à reservatis indirectè, videlicet cum onere sese præsentandi suo Superiori, seu Pœnitentiarario. Ità Benedictus XIV. Bulla: *Quòd communi*. 1742. edita.



171. *Resolvitur* 2. Licet PP. Gvardiani nostri ordinariè non possint; in casu tamen urgentis necessitatis, dum non potest fieri recursus ad P. Provinciale, possunt simplici Sacerdoti dare licentiam excipiendi Confessiones Fratrum suæ familiæ. *Ita Cap. Gen. 1702.* Unde si contingat duos Fratres Minores, ejusdem tamen familiæ, ex obedientia Gvardiani iter agere: quorum unus sit simplex Sacerdos, alter Confessarius approbatus, aut Clericus, vel Laicus: potest P. Gvardianus licentiam dare, quod simplex Sacerdos possit alterius Confessionem audire: hæc tamen licentia debet esse expressa, nec valet tacita, vel præsumpta; aliàs Confessio esset illicita, & invalida, utpotè sine jurisdictione.

172. *Resolu.* 3. Quod PP. Superiores locales possint sibi pro libitu eligere Confessarium sui Ordinis, licet advenam, & peregrinum, etiam non approbatum à suo Provinciali: idque non pro una vice, sed per totum anni cursum. *Cap. Gen. 1691.* Per talem tamen non possunt absolvi à Reservatis. Ita idem *Cap.*

---

## CAPUT VIII.

*De electione Generalis Ministri hujus Fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes.*

173. **N**ota hoc octavo Capite contineri tria Præcepta sub mortali obligantia: 1. Quod FF. Mino-

res teneantur semper unum, de Fratribus istius Religionis, habere Generalem Ministrum. 2. Quod Ministri Provinciales, & Custodes debeant eundem eligere in Capitulo Pentecostes. 3. Quod si viderint eum non esse sufficientem ad servitium, & communem utilitatem Fratrum; teneantur alium eligere. Deinde continetur una *Libertas*, quod scilicet Ministri, & Custodes, si voluerint, possint Fratres suos ad Capitulum convocare.

174. *Qr* 1. An FF. Minores teneantur semper habere Generalem Ministrum? & à quibus debeat eligi? *Resp: ad 1.* Fratres Minores tenentur sub peccato mortali semper habere Generalem Ministrum, unum de Fratribus istius Religionis, nempe: qui emisit professionem in ordine FF. Minorum; quem Ministri Provinciales, & Custodes obligantur sub mortali eligere: & cui universi Fratres tenentur firmiter obedire. Patet id totum ex textu Regulæ, & communi sensu Expositorum. Obedientia autem, quæ hic præcipitur ei præstanda, intelligi debet eodem modo, & præcepto, quò in capite primo Regulæ intelligitur, & in decimo latius explicabitur. Jam autem vi Regulæ Minister Generalis deberet esse perpetuus, ut patet ex illis verbis: *quò decedente*, quæ mortem significant. Ex Constitutionibus tamen Summi Pontificum (quibus omninò obediendum est) modo Generales Ministri solò septenniò (seclusâ dispensatione) Ordinem regere possunt. *Resp: ad 2.* Minister Generalis ex vi Regulæ debet eligi à solis Ministris Provincialibus, & Custodibus. Patet item ex textu Regulæ. Procuratio verò ut eligatur, spectat ad universos Fratres. *A Pol. hic n. 4.* Illi autem dicuntur Mini-



stri Provinciales; qui legitime electi, vel constituti, Provincias gubernant. *Custodes* verò antiquitus dicebantur illi, qui ob amplitudinem Provinciarum, certum numerum Conventuum in Custodias redactum, pro majori facilitate, regerant. Nunc autem expirantibus Custodiis, à Summo Pontificibus decretum est: ut in Capitulo Provinciali duo eligantur Custodes ituri cum Ministro Provinciali ad Capitulum Generale. Cæterum electio Generalis Ministri debet fieri in loco Capituli Generalis, ubicunque à Ministro Generali fuerit constitutum. Et quidem vi Regulæ hæc electio fieri potest tantum in Pentecoste, & non alio tempore, ut patet ex Regula. Unde manifestum est: quòd Capitulum Generale possit congregari: toties, quoties placuerit Ministro Generali, ita, ut Ministri Provinciales teneantur sub peccato mortali convenire.

175. Qr. 2. An Minister Generalis debeat aliquando deponi ab officio? Ante resp: *Nota*, quòd ut deponatur Minister Generalis, duo ex vi Regulæ requiruntur: 1. ut sit insufficientis ad servitium, & communem utilitatem Fratrum, v. g. quia infirmus, onerosus, impotens &c. 2. ut hæc insufficientia constet universitati Ministrorum Provincialium, & Custodum, hoc est: majori eorum parti, ut exponunt 4. Magistri apud à *Pol. n. 12.* Jam. ad quæst: *Resp:* Perspecta insufficientia Ministri Generalis, obligantur sub peccato mortali Ministri Provinciales, & Custodes Generalem Ministrum deponere, & alium eligere. Constat id ex verbo Regulæ: *Teneantur*; quod vocabulum ubicunque ponitur in Regula, denotat vim præcepti, & ut præceptum debet observari à

Fratribus. Ita Clem. V. Cap. 1. Porro quòd celebrationem Capitulum Provincialium, Regula non obligat sub peccato; cum aperte dicat: quòd Ministri, & Custodes possint, *si voluerint* Fratres suos ad Capitulum convocare. Ex decretis tamen Summi Pontificum, & Constitutionibus nostris Generalibus debet singulis trienniis Capitulum Provinciale celebrari, & in eo à Vocalibus novus Provincialis eligi,

## CAPUT IX.

## De Prædicatoribus.

176. **N**ota 1. In hoc capite contineri duò Præcepta sub mortali obligantia: 1. quòd Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradicendum. 2. quòd nullus Fratrum audeat prædicare populo, nisi à Ministro Generali fuerit examinatus, & approbatus. Denique una Admonitio ad bonum faciendum, nempe: ut in prædicatione sint examinata, & casta Fratrum eloquia, &c.

177. *Nota 2.* Quamvis ex vi Regulæ Prædicatores Ordinis Minorum non teneantur approbationem ad prædicandum ab Episcopo accipere; quia juxta eam sufficit, ut Episcopus non contradicat; tamen in Conc. Trident. *Ses. 5. c. 2. de Reform.* decretum est: quòd Prædicatores Regulares, ut in Ecclesiis, quæ non sunt sui Ordinis



nis, prædicent, debent esse approbati ab Episcopis. Ut verò in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent, debent ab Episcopo Benedictionem petere. Quod etiam Clemens X. confirmavit per Bullam: *Superna magni*: ubi §. 5. ita statuit: *Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diocesano benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit; nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare.* Ità etiam Nicol. III. art. 9.

178. Qr. 1. An Prædicatores Ordinis Minorum à solo Ministro Generali possint examinari, & approbari ad prædicandum? *Resp*: 1. Ex vi Regulæ solus Minister Generalis ordinariâ potestate potest Prædicatores approbare. Patet ex Regula. Dixi: *Ordinariâ potestate*; semper enim potuit Minister Generalis aliquem alium delegare ad hujusmodi approbationem; cum ejus potestas non sit per hoc præceptum restricta. *A Pol. hic n. 6.* *Resp*: 2. Ampliatò Fratrum número, potestas approbandi Prædicatores concessa est à Nicol. III. etiam Ministris Provincialibus; qui *art*: 9. sic ait: *Concedimus, nedum Generalem examinare, & approbare Fratres prædicaturos in populis; ... verum etiam Provinciales Ministri hoc possint in Capitulis Provincialibus cum Definitoribus: quam quidem licentiam præfati Ministri Generales revocare, suspendere, & arcere valeant, sicut quando id eis videbitur expedire.* Prohi delectò in nostra Religione hæc

pote-

potestas est suspensa. *Resp*: 3. Tam Minister Generalis, quam alii, quibus admissio Fratrum ad prædicationes est commissa: tenentur dictos Fratres de idoneitate ad prædicandum examinare. Patet id ex textu Regulæ. Non est tamen necessarium, ut suprâ dicti per se Fratres examinent, sed sufficit per alios; quia tali modò sufficienter servatur per alios. *Kezenb. hic q. 2.* Faciendum autem est examen non solum quoad sufficientiam scientiæ; sed etiam quoad alias circumstantias, scilicet ætatis, morum, prudentiæ & aliorum expedientium ad assumendum prædicationis munus: ut sic doctrinâ, & exemplò populus valeat ædificari, ut dicit Martinus V. c. 9. Ex his.

179. Infer: Quòd cum in Regula dicatur: *Nullus Frater penitus audeat populo prædicare*, sequitur: quòd neque in Ecclesia, neque in foro, neque ad altare poterit populo prædicare; nisi prius à Ministro Generali debitè sit institutus prædicator; vox enim illa: *penitus*, omnem modum excludit. *A Pol. hic n. 9.*

180. Qr. 2. Quomodo FF. Minores debeant prædicare? *Resp*: S. P. Franciscus quinque requirit condiciones in Prædicatoribus. 1. Ut sint *examinata eorum eloquia*, id est debitò studio composita: non ex improviso, non temerè, aut sine præparatione prolata: non nova, non suspecta, non erronea. 2. Ut sint *Casti*, non risum provocantia, non scandalosa; sed pura, sana, sincera, honesta. 3. Ut sint ad *ædificationem*, & utilitatem populi: non ad fastum, vanitatem, aut quæstum prædicantis. 4. Ut *annuntient vitia, & virtutes, pœnam & gloriam*, id est materiam

R



moralem, & ea, quæ ad vitam benè instituemdam pertinent. 5. Ut fiant cum *brevitate sermonis*, nempe: ut eloquia eorum sint concisa, non extrà vagantia, non longa, aut supràflua, quæ audientibus tædium pariant. *Kazenberg. à Pol. hic n. 17.*

## CAPUT X.

*De Admonitione, & correctione Fratrum.*

181. *Nota 1.* in hoc Capite contineri duo præcepta sub peccato gravi obligantia. 1. Quòd Fratres teneantur obedire suis Ministris in omnibus, quæ non sunt contrà animam & Regulam. 2. Quòd Fratres, qui scirent se non posse Regulam spiritualiter observare ad suos Ministros debent recurrere. Tandem sex admonitiones: 1. Ut Ministri suos Fratres visitent, & humiliter moneant, & charitative corrigant. 2. Ut Fratres subditi recordentur, quòd propter Deum abnegaverint proprias voluntates. 3. Ut Ministri recurrentes ad se Fratres pro Spirituali Regulæ observantia charitative, & benignè recipiant. 4. Ut caveant Fratres ab omni superbia, invidia &c. 5. Ut non curent, nescientes litteras; litteras discere. 6. Ut attendant, quòd super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini &c.

182. *Nota 2.* Quòd S. P. Franciscus Superiores, & Prælatos sui Ordinis voluit vocare *Ministros*, & *servos* Fratrum juxta exemplum Christi; qui

non venit ministrari, sed ministrare: ut hinc agnoscerent se ministerium; non verò dominium super Fratres habere: quos etiam admonet sui Officii, ut suos Fratres visitent, humiliter moneant, charitative corrigant: neque præcipiant eis aliquid, quòd sit contra animam suam, & Regulam.

183. *Nota 3.* Officium Superiorum ergà subditos esse quadruplex, nempe: subditos visitare, monere, corrigere, ac eis præcipere. *Visitatio* dicit cognitionem, & investigationem necessariam, & vigilantem; ut sciat Superior tanquam Pastor quid cum grege toto, quid cum singulis ovibus agatur? quid eis profit, quid noceat? quid desit? quid superfluat? ipsorum enim Superiorum est vigilare, tanquam rationem reddituri pro animabus subditorum. *Hebr. 13. Monitio* dicit exhortationem ad defectuosos, & tepidos, quia subditi prius monendi sunt, quam gravius increpandi. *Correctio* fit verbis, aut pænitentiarum, sive pænarum multis; quæ ut sit medicinalis; debet esse in verbis humilitas, & in affectu charitas. adeò: ut Superior odiò, vel indignatione nil agat, & à contumelia absteat. *Pol. hic n. 6.* Denique Præceptum tangit regimen, ut qui monitionibus non ducuntur, præceptis, & prohibitionibus tanquam frænis continentur.

184. *Qr. 1.* An Ministri teneantur ex vi Regulæ subditos suos visitare, monere &c. *Resp:* Ex vi Regulæ non obligantur Ministri subditos suos visitare, monere, corrigere; sed ad id obligantur ex jure Divino, & naturali, adeò: ut si ex eorum defectu, & negligentia malum aliquod grave subdito, vel relaxatio Ordinis eveniat, aut immine-



at, juxtà rationem mali, & periculi peccent. *Ità Marchant hic c. 10* Ratio primi est; quia in isto textu Regulæ: *Fratres qui sunt Ministri, visitent &c.* nullum includitur præceptum, ut patet ex Nicol. III. & Clem. V. qui præcepta Regulæ referentes, hujus mentionem non fecerunt. *Ratio 2.* desumitur ex intrinseca ratione regiminis, & curæ animarum. Tum ex S. Scripturæ veritate; in qua leguntur horribiles comminationes adversus speculatorem constitutum super demum Israel. Sic Ezech. 3. Deus dicit: *Si dicente me ad impium: morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat; ipse impius morte morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Quid simile & infra c. 34. dicitur, & alibi. Jam autem quilibet Superior constitutus est in Conventu Speculator & Pastor, quem comminationes illæ expectant; si suâ negligentia, vel malitia, aut nimia clementia, & respectu humano subditi Fratres pereant, aut disciplina regularis detrimentum patiat. Ex his.

185. Insuper: Quòd, sicut Minister Provincialis, visitando aliquem Conventum, teneatur defectus Fratrum inquirere; ità etiam Fratres tenentur in conscientia defectus aliorum Fratrum ex amore Dei, & proximi, nec non ad conservandam vitam regularem, & Regulæ observantiam, Ministro Provinciali tanquam Patri manifestare. In qua tamen manifestatione juxtà *Kerckhove c. 6. §. 1. n. 16.* Fratres subditi tenentur observare sequentia. 1. Quando peccatum Fratris est omninò occultum, & nulli nocivum, nisi ipsi Fratri peccanti: tunc antequam manifestetur Superiori ut Patri,

debet prius à Fratre illud sciente præmitti correctio Fraternalis. modò inde speretur emendatio Fratris peccantis: secus, si aliter. 2. Peccata, & defectus Fratrum jam correcti, & emendati, de quibus non amplius est evidens, vel probabile periculum recidivæ; non possunt à subditis absque gravi peccato in re gravi, denuntiari Superioribus. 3. Quando Superior localis potest defectus Fratrum se solo corrigere; tales defectus debent illi, & non Ministro Provinciali deferri, nisi in hoc sit negligens Superior localis. 4. Nemo tenetur Præloto visitanti revelare delicta Fratrum, quæ tantum ab alio audit; nisi sint in re gravi: nec ea ille, qui vidit, detulit.

186. Qr. 2. An Superiores possint suis Fratribus subditi imponere præcepta sub peccato mortali obligantia, præter ea, quæ in Regula continentur? *Resp. Affirmative.* Ratio desumenda est ex potestate Regiminis; & obedientia voventis: estque communis doctrina Theologorum. Ut autem præceptum Superioris obliget sub mortali, duo requiruntur. 1. Ut sit materia gravis; quia potestas Superioris debet esse ordinata, & rationalis: adeoque sicut lex justa, ut sub mortali obliget, debet ferri in materiam gravem; ità multo magis præceptum Superioris debet ferri in materiam gravem. Materia autem gravis debet pensari ex circumstantiis mali, à quo præceptum avertit; non verò ex sola natura rei; quia malitia sæpius pendet ex circumstantiis, quam ex ipsa re. Sic leve in se videtur intrare aliquam domum suspectam: si tamen vicini ex tali ingressu scandalizantur; potest Superior sub peccato gravi prohibere talem ingressum. Et sic de aliis intellige.



2. Ut præceptum Superioris obliget sub mortali, debet pensari *Intentio* præcipientis, utrum intendat obligare sub mortali? si enim sic non vult obligare, nec ejus præceptum obligabit sub mortali. Potest autem cognosci superiorem velle suum præceptum obligare sub mortali 1. Si illud expresse significet. 2. Si per obedientiam præcipiat. 3. Ex gravitate materiæ. In casu verò, quò de intentione Superioris volentis sub mortali obligare, constat; & solum dubitatur à subdito de gravitate materiæ, tenetur subditus obedire; quia Superior est in possessione potestatis præceptivæ. *Marchant. lo. supra cit.*

187. Insuper: 1. Quòd à Superioribus possint subditis imponi duplicis generis præcepta, nempe: per modum simplicis mandati, vel per modum Legis, & statuti. Illa Superiorum præcepta dicuntur *Simplicis mandati*, quæ feruntur vel à solo Generali, vel à solo Provinciali, vel à solo Definitorio: & hæc obligant juxta intentionem Superioris illa imponentis: & tam diu obligant, quam diu durat Superior illa imponens in suo officio, & idè non sunt perpetua. Illa verò dicuntur per modum *Legis*, quæ feruntur à Ministro Generali cum consensu Capituli Generalis: vel à Provinciali cum consensu Capituli Provincialis: suntque veræ Leges, & perpetuò obligant: & tales sunt nostræ Constitutiones, Generales.

188. Insuper: 2. Quòd *Obedientia* Fratrum subditorum ergà suos Superiores debeat esse *latissima*, nempe: ut ad omne, quod mandatur, modò non sit contra animam, & Regulam, sese simpliciter extendat. *A Pol. hic n. 20.* cum S. Bonav. S. Bernardino, Petro Joanne, & aliis. Patet

id etiam ex textu Regulæ, ubi S. Pater ait: *Firmiter precipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contra animam suam, & Regulam nostram.* In quem textum scribens Hugo dicit: *Perfectam hanc obedientiæ legem S. Franciscus instituit: ut scilicet Fratres non solum in his, quæ promiserunt Deo observare: sed etiam in omnibus, quæ non sunt contraria animæ, & Regulæ obediant: hos duos obedientiæ limites tantum ponens.* Idem dicit Mart. V. in sua Constit: c. ultimò. Nomine autem *Ministrorum* hic intelliguntur omnes Prælati Ordinis, ut Generales, Provinciales, & Superiores locales. S. Bonav. Hugo, Pisanus. Illud verò dicitur esse *contrà animam*: quod vel est peccatum mortale, aut veniale: vel incentivum, & inclinans ad illud. *Contrà Regulam* autem est; quod advertatur præceptis Regulæ, aut iis, quæ conducunt ad ipsius observantiam.

189. Insuper: 3. Quòd licet tria vota essentialia, & omnia præcepta Regulæ nostræ ex genere suo obligent sub peccato mortali; non tamen quælibet transgressio votorum, aut præceptorum Regulæ est peccatum mortale; quia sicut in præceptis Divinis, & humanis v. g. levitas materiæ, imperfecta advertentia, aut semiplenus consensus excusant à mortali; ita etiam in votis, & præceptis Regulæ. *March. hic text. 2. q. 1.*

190. Qr. 3. An Superiores possint interpretari præcepta Regulæ, & in eis dispensare? Ante resp. *Nota*, magnum esse discrimen inter dispensare, & interpretari: nam *Interpretari* præcepta Regulæ nil aliud est, quam consideratis o-



mnibus rerum circumstantiis, declarare rationaliter præcepta Regulæ in hoc singulari casu non obligare. *Dispensare* verò, est per auctoritatem legitimam relaxare præcepta Regulæ, quæ defectu obligant. Unde patet: quod dispensatio legem obligantem relaxet; Interpretatio verò tantum declarat legem non obligare. Ad quæst: *Resp.* 1. Licet Superioribus præcepta Regulæ aliquando interpretari, ut in certis casibus non obligantia. *Ratio, est:* Si enim licet interpretari leges naturales Divinas, & humanas, cur non præcepta Regulæ? Hæc tamen Interpretatio debet fundari in æquitate justitiæ. Causæ verò justæ interpretationis potissimum sunt duæ: 1. *Necessitas Personæ operantis:* Sic Superior interpretari potest Fratrem morbo laborantem non teneri v. g. ad officium Divinum: pluribus tunicis uti posse: calceamenta portare, equitare &c. Nec hic intercedit dispensatio; sed est pura interpretatio; qui enim hæc in *necessitate* faciunt, nihil contra Regulam faciunt, sed utuntur jure suo; quia in suis particularibus casibus præcepta Regulæ eos non obligant. *Secunda causa* justæ interpretationis est *Concurrentia alterius præcepti:* ubi enim duo præcepta concurrunt, quæ simul executioni mandari non possunt, majora debent præponi minoribus; naturalia positivis, Divina humanis ex equitate. Sic F. Minor, ex præcepto charitatis, aut justitiæ, obligatus hic & nunc succurrere proximo; cui non potest succurrere salvo v. g. Regulæ jejunió, aut officio Divinó, aut usú pecuniæ: non tenetur hic & nunc dictis suæ Regulæ præceptis; sed tenetur proximo subvenire, seu satisficere præcepto charitatis, aut justitiæ.

Ratio

*Ratio est:* quia hæc sunt præcepta majora, utpotè Divina; præcepta autem Regulæ sunt humana. Et quamvis ex vi Officii solus Superior possit legem interpretari; tamen ubi Superior non adest, & necessitas operandi urget; potest quilibet legem interpretari. *Marchant, cit. lo. q. 3. Resp. 2.* Non possunt Superiores Ordinis in ullis Regulæ præceptis dispensare. *A Pol. hic n. 29. & 30.* Ratio est: quia dispensatio non est actus Officii Pastoralis; sed est actus supremæ legislativæ potestatis: quæ sicut potest leges condere, ita etiam in illis dispensare; ut docent communiter Theologi. Jam autem Superiores nostri nec delegatam quoad hoc habent potestatem: nec sunt supra Regulam; sed sub Regula: ergo.

191. Qr. 4. Quæ requiruntur, ut Frater subditus teneatur recurrere ad Ministros pro Regulæ observantia? *Resp:* Ad hoc requiruntur duo: 1. Ut in loco, in quo morantur Fratres, Regulam spiritualiter observare non possint. 2. Ut hujusmodi impossibilitatem verè sciant, & cognoscant. Quibus duobus concurrentibus, Fratres sub peccato mortali tenentur recurrere ad suos Ministros. *Ita Clem. V. c. 2.* Ubi tamen per inferiores Ministros, sive Custodes, sive Guardianos mederi potest gravamini fratris recurrentis; non est necesse recurrere ad Ministrum Provincialem. *Ita Hugo de Dina.*

192. Qr. 5. Quomodo Ministri debent recipere Fratres ad se recurrentes pro Regulæ observantia? *Resp:* Tres condiciones requirit S. P. Franciscus in Ministris quoad hoc, scilicet: ut *benignè, charitative,* & cum *familiaritate* eos recipiant. Ita textus Regulæ. Jam autem juxta S. Bo-



naventuram Benignitas in vultu, charitas in corde, familiaritas in sermone consistit: ut nimirum benigno vultu, verbis familiaribus, & corde compassione plenos eos recipiant, ut omnia verba, imperium sonantia, & fastum, fileant, exemplo Illius, qui dixit: *Luc 22. qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor, sicut ministrator.* Per illa autem verba: *Ut dicere possint eis, & facere sicut Domini servis suis,* intelligit Regula: quod Superior debeat portare onera, tædia, & infirmitates subditorum: & sic eis, ut Dominis, servire in vigiliis, & laboribus, eorum salutem procurando. *Non est autem* (ait S. Bonav.) *intelligendum verbum: quod subditis detur occasio superbiendi pro nimia humilitate Ministrorum; nè, sicut dicit Gregorius, dum nimis servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas &c. Servi quidem in iis præcipue, quæ ad salutem pertinent animarum.* Attendant igitur Fratres, qui sine reverentia, & sine fronte recurrunt ad Ministros, sub specie zeli regularis observantiæ; à parte autem rei nil aliud querunt, quam humanas consolationes, & sensualitates, atque effugere Superiorum immediatorum correctiones, quas merentur; attendant: quantum inferant injuriam suo Fundatori & Regalæ! *Kaxenberg. hic q; 5.*

193. Qr. 6. An prohibeatur Fratribus ex Regula studium Litterarum? *Resp. negativè.* Ratio est; quia hæc verba Regulæ: *Et non curent nescientes litteras litteras discere, nec præceptorie, nec sub verbis æquipollentibus*

ponuntur: nec à Clemente V. inter præcepta numerantur. Imò contrarium infert Nicol. III. *art. 2. §. Professio:* ubi ex prædicationis onere Fratribus Minoribus à Regula imposito, ait: *Constans est; quod hæc supponunt scientiam, scientia requirit studium; exercitium verò studii convenienter haberi non potest sine usu librorum.* Proinde illa verba: *& non curent litteras discere,* sunt tantum admonitio S. Patris, & quidem tantum Fratres Laicos specialiter tangens: quorum vocatio cum studium non requirat, ab eis studendi tentationem procul arcere voluit S. Pater. *Hugo. à Polit. n. 106.* Monet autem hic S. Pater: ut Fratres sui internæ, seu mentali orationi specialiter instent, dicens: *Super omnia desiderare debent habere spiritum Domini. orare ad Deum puro corde &c.* Cujus rationem addens *Kerchove c. 2. §. 4. n. 3. ait:* *Quia tamen Religiosi omnes ex vi suæ professionis tenentur sub gravi obligatione tendere ad perfectionem, maxime per observantiam votorum, & Regulæ: oratio autem mentalis sit præcipuum medium, & moraliter necessaria ad hanc perfectionem assequendam, ut potè sine qua gravissimas tentationes, moraliter loquendo, nemo superat; patet: quod ad hanc orationem mentalem obligentur Religiosi, & vel maxime Franciscani.*





## CAPUT XI.

*Quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.*

194. **N**ota in hoc Capite contineri tria Præcepta sub peccato mortali obligantia: 1. Nè Fratres habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum. 2. Nè ingrediantur Monasteria Monacharum. 3. Nè fiant Compadres virorum, vel mulierum.

195. **Q**r. 1. Quid nomine suspecti consortii, & consilii Fratribus prohibetur? *Resp.* Ex vi Regulæ specialiter prohibentur Fratribus consortia, & colloquia mulierum; quæ etsi mala non sunt, & etiam ab impudicitia aliena; tamen in aliquo, vel aliquibus nata sunt causare suspensionem impudicitiae. Ratio est; quia per hoc speciale præceptum Regulæ aliquid de novo prohibetur Fratri Minori, quod alias ei non est prohibitum; atqui non potest esse aliquid aliud, quam dictum consortium, quatenus suspensionem de malo generare potest: alia quippe sunt jure Divino, & ex natura voti castitatis interdicta, quæ hic repeti non debuerunt; ergo. *Marchant. hic c. 11* cum aliis. Et hoc consortium mulierum, juxta S. Bonav. Hugonem, & 4. Magistros, reddunt suspectum de malo, sequentia. 1. *Locus*, si est solitarius, sequestratus, aut obscurus. 2. *Tempus* utpotè nocturnum, aut alias importunum, puta quando Fratres omnes sunt in Choro, vel Refectorio. 3. *Modus*, ut si quis

versetur solus cum sola. 4. *Gestus*, ut si sit dissolutio, vel nimia propinquitas ad feminas. 5. *Adus*, ut si sint aspectus fixi, & incontinentes: verba dissoluta, & scurrilia, aut immunditiam sapientia, æquivoca: tactus manuum, risus effusi, joci nimis familiares &c. 6. Ad suspicionem etiam facit *etas*, & *conditio* tam mulierum, quam loquentis, ut ait S. Bonav. 7. *Frequentia* conversationis. 8. Juxta Petrum Joan. Suspecta consortia non solum per mutuam presentiam; sed etiam in absentia multipliciter per litteras, per dona, & cætera hujusmodi sæpè contrahi solent. 9. Juxta Hugonem, etiam continuatio alicujus familiaritatis cum muliere, post Prælati adnotationem, aut inhibitionem, est sufficiens motivum ad suspensionem fundandam. His itaque concurrentibus in toto, vel in parte, Frater Minor, juxta rationem suspensionis majoris, vel minoris, quæ ex his, & similibus nasci potest, peccatum mortale, vel veniale incurrit. Unde hic spectat illud S. Hieronymi ad Nepotianum: *Cave te omnes suspensiones! crebra enim munuscula, & sudaria, & oblatos, ac degustatos cibos, blandasque ac dulces litteras, atque munuscula sanctus amor non habet.*

196. **Q**r. 2. An Fratribus Minoribus sit specialiter ex Regula prohibitus Ingressus in Monasteria Monialium, & accessus ad ea? Ante *Resp.* *Nota.* Quod *Ingressus* in Monasteria Monacharum tunc est, quando quis ad Claustra, Domos, & Officinas interiores ingreditur. *Ita Nicol. III. art. 12.* Per *Monachas* autem intelliguntur mulieres omnes, quæ solemniter Religionem ab Ecclesia approbatam professæ sunt; &



quæ communi vocabulò Moniales dicuntur. *Ità idem Nicol. ibidem.* Deinde: aliquæ Moniales servant strictam, & Apostolicam clausuram; quæ indicta est illis à Conc. Trident: vi cuius post Professionem ex illa exire non possunt, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda. Nec inter septa talis clausuræ, seu Monasterii licet alicui ingredi sine Episcopi, vel Superioris licentia sub pœna Excommunicationis ipsò factò incurrenda. Aliæ verò sunt, quæ non servant strictam clausuram; quibus semper egredi licet, & quarum Monasteria ingrediuntur promiscui homines: quales sunt in hoc Regno Sorores Misericordiæ. Ad quæst: *Resp: 1.* FF. Minoribus ex Regula specialiter prohibitus est ingressus in Monasteria quarumcunque Monialium strictam, & Apostolicam clausuram servantium, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Patet id tum ex textu Regulæ: tum ex Declaratione Nicol III. art: 12. ubi sic ait: *Nos generaliter id esse prohibitum de quarumlibet Cœnobiiis Monialium respondemus: Et Nominè Monasterii volumus Claustrum, Domos, officinas interiores intelligi, pro eo: quòd ad alià loca, ubi homines seculares conveniunt, possint Fratres illi causà prædicationis, vel elemosynæ petendæ accedere, quibus id à Superioribus suis pro sua fuerit maturitate, vel idoneitate concessum.* Ex quo.

197. Infer: Quòd FF. Minores non tantum non possint ingredi Monasteria Ordinis S. Claræ, quæ strictissimam habent clausuram; sed etiam omnium aliarum Monialium strictam Clausuram servantium, etiam si Episcopus, vel Prælatas Regu-

laris, nimirum Superiores talium Monialium, concederent FF. Minoribus licentiam ingrediendi talia Monasteria. *Ità Kerckhove c. 5. § 8. n. 20.* Ratio clara est: quia FF. Minores ex sua Regula, & Declaratione Nicolai III. non possunt ingredi Cœnobia quarumlibet Monialium strictam Clausuram servantium, præter illos: quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis; atqui licentia ingrediendi talia Monasteria concessa ab Episcopo, vel Prælato Regulari, non est FF. Minoribus à Sede Apostolica specialiter concessa, ut per se patet: ergo. Adfunt quidem aliqua privilegia Sum: Pontificum concedentia FF. Minoribus ingressum in Monasteria Monialium in certis casibus: verum quia hæc minimè nos concernunt, qui non habemus curam Monialium; idè ab his supersedeo. Videri tamen possunt in compendio Privileg: FF. Min. verbò: *Ingrèdi Monasteria*, & in à *Pol: hic n. 12. Resp: 2.* Nul- lum est in Regula, aut Declarationibus Pontificum præceptum, quòd FF. Minores arceantur ab *Accessu* ad Monasteria Monialium. *Ità March. in Cap. 11. Reg.* Ratio est: quia Regula nil dicit de *accessu*; sed tantum de ingressu in Monasteria Monialium. Tum quia, teste à *Pol. n. 17.* Eugenius IV. generalem indulsit facultatem, ut FF. Minores ingredi possint Loca quarumcunque Monialium, ubi seculares communiter intrant, de licentia tamen suorum Prælatorum.

198. Qr. 3. Quæ Compaternitas prohibetur FF. Minoribus per Regulam? Ante resp: *Nota*, quòd Compaternitas in duobus contrahatur Sacramentis, scilicet Baptismo, & Confirmatione. Porrò in quolibet horum Sacramentorum duplex contrahi-



tur Compatemitas. *Prima* ex parte Baptizantis, & Confirmantis, quam contrahit Baptizans, & Confirmans cum Patre, & Matre Baptizati, Confirmati. *Secunda* ex parte suscipientis baptismum & confirmationem: quam contrahunt suscipientes, seu Patrini cum Patre, & Matre baptizati, & confirmati. Ad quæst: *Resp.* Sola Compaternitas ex susceptione, seu levatione Prolis in Sacramentis Baptismi, & Confirmationis FF. Minoribus per Regulam sub peccato mortali prohibetur. Ratio est; quia hæc sola scandalum generare potest, quod cavet Regula. Unde F. Minor non tantum in necessitate licite baptizare potest, ad quod ex charitate tenetur; sed etiam extrâ necessitatem solemniter baptizare potest, modò id faciat cum licentia Parochi. *Kazenb. hic. q. 3.*

## CAPUT XII.

*De euntibus inter Saracenos, & alios infideles.*

199. *Nota 1.* Hoc Capite unum tantum contineri præceptum sub mortali obligans: ut scilicet Ministri petant à Papa unum de S. Rom. Eccl. Cardinalibus, qui sit Governator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis. Una etiam continetur Admonitio, quòd nempe Ministri nullis eundi licentiam tribuant: nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum, Tandem una Libertas, nempe:

nempe: quòd Fratres possint ire, vel non ire inter Saracenos, & infideles.

200. *Nota 2.* Quòd etsi hæc semper fuerit voluntas S. P. Francisci, utpotè veri zelatoris salutis animarum; ut sui Fratres non tantum propriam, verum etiam alienam quærerent salutem, tum bono vitæ exemplò, tum per ferventem prædicationem, tum denique per infidelium ad Christum conversionem; nihilominus dum per eos infidelium conversionem desiderat, totum hoc opus eorum liberæ voluntati relinquit, suppositâ etiam quòad hoc inspiratione Divina, dum sic inquit: *Quicumque Fratres Divinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos &c.* ut per hæc ostendat, quòd in tam arduo negotio, etiam motio, & inspiratio Divina sit tantum consilii, non præcepti. Et quia 1. Joan. 4. dicitur: *Charissimi, nolite omni Spiritui credere; sed probate Spiritus, si ex Deo sint:* hinc etiam S. Pater requirit à suis Fratribus, ut dum aliquis eorum talem inspirationem Divinam in se senserit, & ei obtemperare proposuerit; prius eam suo Ministro Provinciali manifestet, & ab eo licentiam quòad hoc petat. Si verò Min: Provincialis neget ipsi petitam licentiam; talis Frater non potest tutâ conscientia pergere ad infideles, etiam sub prætextu, quòd habeat Divinam quòad hoc inspirationem; nam Deus nulli dat inspirationem ad aliquid agendum contra voluntatem, & obedientiam Superiorum, qui sunt locò Dei, ut ait *Kazenb. & à Pol. hic n. 5.* Deinde, quia etiam ex jure communi c. 10. *quam sit. de judæis. &c. 12.* Cum ex injuncto. prohibitum est ire ad Saracenos sine licentia Superiorum. Ulterius monet hic S. Pater Mi-



nifros: ut nullis Fratribus eundi licentiam ad infideles tribuant; nisi eis. quos viderint idoneos ad mittendum. Ex quo patet: quòd si Ministri mitterent Fratres ad infideles, quos inhabiles, seu non idoneos viderent: tunc peccarent graviter contra jus naturale, Divinum, & Ecclesiasticum, ut docet *Corduba in Cap. 12. Reg.*

201. Qr. 1. Quæ idoneitas requiritur in Fratere Minore, ut possit mitti ad Infideles? *Resp:* Idoneitas quoad hoc describitur à S. Bonaventura his verbis: *Idonei sunt: robusti corpore, constantes in fide, probati, & semper irreprensibiliter conversati.* Pisanus verò dicit: *Idoneitas attendenda est in litteratura, in personæ sanctitate, religiofitate, & vita; fidei zelo, & fervore, mundi abnegatione, & sui perfecta mortificatione.* &c. quæ omnia committenda sunt iudicio Superioris.

202. Qr. 2. An omnes Ministri teneantur petere à Papa Protectorem Ordinis? *Resp:* Deficiente Generali Ministrò huic officio petendi à Papa Cardinalem Protectorem; tenentur sub peccato mortali Ministri Provinciales à Sum: Pontifice petere Cardinalem pro Protectore nostræ Religionis. Ratio est; quia hoc præceptum, ex vi verborum, concernit omnes Ministros. Et cum in Regula dicatur: *per obedientiam injungo Ministris*, utique obligat eos sub peccato mortali. Dicitur est: *Deficiente Generali Ministrò huic officio;* nam si Minister Generalis petat nomine totius Ordinis, & principaliter nomine Provincialium, satisficit præcepto Regulæ, nec tenentur Min: Provinciales petere.

203. Qr. 3. Quæ sit auctoritas Protectoris Car-

dinalis? *Resp:* Auctoritas Protectoris Ordinis nostri, per Summos Pontifices ad tres tantum casus se extendit. 1. *In hæresi:* quando aliqui Fratres, vel tota Religio nostra deviaret à vera Fide Romano-Catholica. 2. *In Schismate:* quando recederent ab obedientia Romani Pontificis, vel Ecclesiæ Romanæ. 3. *In relaxatione Religionis:* quando declinarent ab observantia Regulæ. Ità Gregor. IX. ut referunt in Compend. Privileg. verbo: *Protector.* Quod Decretum innititur verbis Regulæ dicentis: *Ut semper subjecti pedibus S. Romanæ Ecclesiæ;* Ex quo consequitur Obedientia contra Schismata. *Stabiles in Fide Catholica:* ex quo consequitur unitas Fidei contra hæreticos. *Paupertatem, & humilitatem, & S. Evangelium D. N. J. C. quod firmiter promissimus, observemus:* ex quibus consequitur Regulæ observantia contra relaxationes. Et præter hæc tria, si quid plus attentaverit Protector Ordinis, declarat idem Gregor. IX. id esse irritum, & inane.

Et hic jam sit dictorum finis.

AtqVe

RegI sæCULorVM InVISIBILI, seV  
Verò Deo honor & glOrla.



17134/e

Wycofan  
Bibliotek